# Ulixes posthomericus

Johann Oswald Schmidt

# ULIXES POSTHOMERICUS.

SCRIPSIT

IOANNES SCHMIDT.

PARTICULA PRIMA.

BEROLINI 1885.

APUD S. CALVARY ET SOCIUM.

VERLAG VON S. CALVARY & CO. IN BERLIN.

# BERLINER STUDIEN

FÜR

# CLASSISCHE PHILOLOGIE UND ARCHAEOLOGIE

HERAUSGEGEBEN VON

**FERDINAND ASCHERSON.**

## *Prospect.*

Es hat sich das Bedürfniss herausgestellt, neben den vielen bestehenden Publicationen auf dem Gebiete der klassischen Philologie und Archaeologie noch ein Organ zu schaffen, das dem Zwecke dient, Arbeiten zu veröffentlichen, welche für eine Zeitschrift zu umfangreich und für eine selbständige Veröffentlichung nicht gross genug sind.

Zu den Schriften der letztgedachten Art gehören namentlich auch die Gelegenheitsschriften, Schulprogramme und Dissertationen, von denen die besseren wohl verdienen, durch eine Sammlung erhalten zu bleiben und die ihnen gebührende Verbreitung zu finden.

Unser Unternehmen steht nicht im Dienste irgend einer einzelnen Richtung oder Schule. Wir werden uns bestreben, die uns zur Aufnahme zugehenden Arbeiten unparteiisch zu prüfen, und hoffen so im Stande zu sein, das sachlich Bedeutende zu erhalten, und in Form und Inhalt Tüchtiges zu bieten.

Die in diesen Blättern gebrachten Abhandlungen werden auch in Einzel-Abdrücken zugänglich sein, so dass es dem Forscher auf dem Einzelgebiete möglich gemacht wird, auch nur diejenigen Arbeiten zu erwerben, welche ihm erwünscht und nöthig sind.

Bisher erschienen:

**Erster Band.** 783 S. gr. 8. Preis 19 Mark.

Inhalt: **Wilhelm Gemoll**. Untersuchungen über die Quellen, den Verfasser und die Abfassungszeit der Geoponica (S. 1—280. Einzelpreis 8 M.). — **Ernestus Kuhnert**, De cura statuarum apud Graecos (S. 281—356. Einzelpreis 2 M. 40 Pf.) — **Heinrich Weissenborn**, Die irrationalen Quadratwurzeln bei Archimedes und Heron. (S. 357-408. Einzelpreis 3 M. 60 Pf.) — **Adalbert Horawitz**, Griechische Studien I (S. 409—450. Einzelpreis 2 M.) — **Fridericus Cauer**, De fabulis graecis ad Romam conditam pertinentibus (S. 451—490. Einzelpreis 2 M.). — **Paulus Reinholdus Wagler**, De Aetna poemate quaestiones criticae (S. 491—602. Einzelpreis 4 M.) — **Leopoldus Cohn**, De Heraclide Milesio Grammatico (S. 603—718. Einzelpreis 4 M.). — **F. B. Leidenroth**, Indicis grammatici ad Scholia Veneta A exceptis locis Herodianis specimen (S. 719—783. Einzelpreis 2 M. 40 Pf.).

**Zweiter Band. Erste Hälfte.** S. I—VII, S. 1—268.

Preis 8 Mark.

Inhalt: **Wilhelm Soltau**, Die Gültigkeit der Plebiscite (S. 1—176. Einzelpreis 7 M.). — **Hermannus Riccardus Grundmann**, Quid in elocutione Arriani Herodoto debeatur (S. 177—268. Einzelpreis 3 M.)

Die „**BERLINER STUDIEN**" erscheinen in Halbbänden von je zwanzig bis dreissig Bogen zum Preise von 7 Mark bis 10 Mark 50 Pf. Jährlich wird etwa ein Band ausgegeben werden.

Die einzelnen Abhandlungen werden zu einem um den vierten Theil höheren Preise auch einzeln abgegeben.

Jeder Abnehmer eines Halbbandes verpflichtet sich dagegen zur Abnahme des ganzen Bandes.

# ULIXES POSTHOMERICUS.

SCRIPSIT

IOANNES SCHMIDT.

PARTICULA PRIMA.

BEROLINI 1885.

APUD S. CALVARY ET SOCIUM.

PIIS MANIBUS

PATRIS OPTIMI

S.

Qualem Homerus descripserit Ulixem, diligenter enarravit Jos. Houbenius[1]); restat, ut Posthomerici Ulixis indolem sortesque per varia poeseos genera persequamur. Sed quoniam numerus scriptorum, qui Ithacensis viri fabulae operam impenderunt, amplissimus est ac plane immensus, statim, ne post errantem Laertiadam ipsi quoque erroribus iactaremur, terminis quadrifariam statutis prospeximus. Etenim primum in Graecis scriptoribus, quantum fieri poterit, acquiescamus; qui tamen cum uberiorem de Ulixe materiem evolvant, interim libris poetarum contenti procul habebimus pedestris sermonis auctores. Poetas porro nullos respiciemus nisi Alexandrinorum aevo superiores, qui et satis superque argumentorum et sincerioris artis carmina subtilibus perplexisve studiis nondum admixta aut vitiata proponunt. Denique comoediam hinc segregare praestabat, quippe quae ob liberum illud, quo mythos tractat, arbitrium ad longe alios quasi litterarum fines pertineat. In vetustiore autem illa aetate subsistentibus nobis, quomodo commentatiunculam disponeremus,

[1]) In pensorum indicibus gymn. Trevir. a. 1856. 1860. 1869. Brevissime ac levissime in tanta re versatus est Marcowitzius („Ulixis ingenium quale et Homerus finxerit et tragici Graecorum poetae“, ind. gymn. Duesseld. 1854. 13 pp.) neque Homericis carminibus satis exhaustis et neglectis omnibus tragoediis naufragis. Quae Altenburgius ineptis allegoriis longissimus de Ulixe somniatus est (ind. gymn. Schleusing. 1835. 1837.), omni in rem nostram pretio carent. Schunckius dissertatiuncula sua („Odysseus in der Ilias“, ind. gymn. Heding. 1867.) magis haud dubie homines parum Iliadis peritos quam philologos docere studuit.

ipsa poeseos historia praescriptum videbatur. Cuius artis genera ut apud Graecos aliud post aliud effloruerunt et inter sese tanquam exceperunt, sic intra terminos modo delineatos, qualem finxerint Ulixem poetae

I. epici,

II. lyrici,

III. tragici,

accuratius exponere conabimur. Ceterum totam materiem exequi quamquam per solitam calcem non erat, vel hance tamen gravissimam speramus argumenti partem litteris philologicis paulum fore in fructu.

---

# Caput I.

## Ulixes apud antiquiores Graecorum poetas epicos.

Breviter et facinoribus fatisque omissis primum de Homerici Ulixis ingenio disserere placet. Qui quidem satis est mirandum, quod in duobus illis poematis, quae si non a multis consarcinatoribus leviter consuta, certe ex diversis diversorum auctorum rhapsodiis in unum redacta scimus, ipse tamen fere eandem ac simillimam plerumque naturam exhibeat. Certas sane carminum partes, velut Doloneam, aetati paulo posteriori debere originem examinata etiam Laertiadae figura persentiscimus; at in universum Ulixis apud Homerum descriptio secum ipsa paene nihil discordat. Sed „cum Ulixes in Odyssea remotus a belli tumultu ac strepitu aut Neptuni ira per multa maria iactatus diversissima pericula subeat . . . aut mitis rex, qui populum sibi subditum maxima regat clementia, ante oculos nostros ponatur, aut pater, qui filium unicum vero amore complectatur, aut maritus, cui uxor singulari fidelitate dedita sit, in Iliade autem acerrimus et strenuus bellator sit, assiduus in proeliis et expeditionibus bellicis, prudens in conciliis, fieri non potest, quin nonnullae illius viri virtutes in uno carmine appareant, quae prorsus desiderantur in altero" [1]).

[1]) Houben. l. l. ind. a. 1869. p. 2.

Ac de Iliade quidem quomodo Laertiadae persona accipienda sit, maxime nimirum ex paucis post Thersitae castigationem verbis Danaorum colligitur hisce (B 272 sq.):

ὢ πόποι, ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργεν,
βουλάς τ' ἐξάρχων ἀγαθὰς πόλεμόν τε κορύσσων —

ex quali bellicae strenuitatis et consiliorum abundantiae praedicatione duplicem illius vim et auctoritatem perspicimus. Neque enim deest Ulixes, quotiescunque acie instructa in campo Troico dimicatur. Cuius rei testes quasi eorum manes resuscitem, quos fortiter pugnantem interfecisse crebro scriptum videmus[1]); testantur istud etiam volnera, quae in ἀριστείᾳ sua telo Soci accepta tanquam pulcherrima victoriae indicia reportat[2]); testantur, quae saepius vita et corpore oblatis gnaviter defendit, murus ac fossa navalium; testantur Achaeorum cohortes, quas ante proelium accendit[3]) et quamvis sauciatus in aciem dirigit[4]); testantur denique octo illi principes, quibuscum in contione ad singularem cum Hectore pugnam promptissima voluntate progreditur[5]). Neque hostibus modo Ulixem esse superiorem, sed parem etiam commilitonibus suis luculenter ex certaminibus in defuncti Patrocli honorem institutis apparet: luctando ille maiorem Aiacem[6]), minorem et Antilochum cursu superat[7]). Quae laus amplissima haud parvom sane est periculum, ne duobus locis admodum infringatur. Namque Agamemno dum ante illud rhapsodiae Δ proelium exercitus agmina obit, Ulixis, quem cum suis reperit morantem, verbis vehementiae plenis pigritiam vituperat[8]). Sed quamquam defensio Ulixis a proposito nostro plane abhorret, Atridae tamen convicia non tam ad verum illius peccatum quam ad stomachum ipsius referenda sunt, praesertim cum Agamemnonis asperitatem atque intemperantiam et ex verbis, quibus illum iracundius respondentem sedat, et ex similibus probris deinceps in Diomedem et Sthenelum immissis facile cognoscamus. Atque quod paulo post Ulixes iuxta Aiacem audacissime in hostes impetum facit, inde quam iniquom fuerit ignaviae crimen satis probatur. Alias ille quidem graviorem

[1]) Δ 501; E 677 sqq.; Z 30; Λ 321; 335; 446 sqq. [2]) Λ 434 sqq. [3]) E 519 sq. [4]) Ξ 379 sq.; T 47 sqq. [5]) Η 168. [6]) Ψ 709 sqq. [7]) ib. 755 sqq. [8]) v. 336 sqq.

timiditatis suspicionem admittit, cum in pugnae tumultu Tydidae nec precibus nec vituperationibus retineri potest[1]). Sed fuga iam ante Laertiadam Idomeneus Agamemno uterque Aiax salutem petierunt ac Nestor ipse a Diomede vix servatur. Neque tamen is est Ulixes, qui si parum sufficere vires suas intellegit, temere inceptum exequi perseveret. Etenim iam Jupiter fulmine caelitus misso, utri victoria succedat, satis lucide innuit; contra deos autem perdita opera cumque suo ipsius detrimento pugnare quis magis vereatur aut diligentius iram omnino deorum caveat quam pius prudensque Laertiades? Propter hanc vero ipsam moderationem atque constantiam, qua ne invitis immortalibus vires intendat, suo semper loco ac tempore prohibetur, magis etiam quam ad belligerandum idoneus ad contionandum et paciscendum existit. Qui a Minerva admonitus animos Achaeorum iamiam de abitu cogitantium minis et hortationibus retinet ac Thersitam deinceps, qui solus in redeundi consilio perstat, cum omnium, ut iam vidimus, laude et assensu verberibus coercet, iam vero cohibitum volgus composita ad persuadendum oratione, ut ad arma redeant, fortiter perducit[2]); alterum vel potius tertium Agamemnonis de navigatione consilium gravissimis causis itemque prospero eventu reprobat[3]); porro ut iam initio belli cum Menelao ad repetendam Helenam missus splendida facundia Troianis admirationem effecit[4]), ita legatus deinde ad mitigandum Pelidam[5]) si non faustiore quam tunc successu rem gerit, tamen illius maxime orationi[6]) tribuendum videtur, quod Achilles aliquam saltem auxilii spem admittit[7]). Qui quidem tunc primum ab Ulixe placatus, in pristinam postea cum Agamemnone gratiam ab Ulixe reducitur: cuius verbis[8]) an ferocem Achillis animum minus conciliari putas, quam quibus donis Atrida fortissimum socium mollire studeat?

Passim hic ingenium Ulixis sincerum ac liberale vidimus descriptum; magis iam versutia illius ac furtivae actionis studium in Dolonea exprimitur. Quam cum rhapsodiam ipsi veteres iam critici postea demum Iliadi insertam esse doceant[9]),

---

[1]) Θ 90 sqq. [2]) Β 155—335. [3]) Ξ 83 sqq. [4]) Γ 203 sqq. [5]) Ι 169 sqq. [6]) ib. 225 sqq. [7]) ib. 650 sqq. [8]) ib. 178 sqq. 215 sqq. [9]) schol. Vict.; Eustath. p. 785, 41.

novom illud animi Ulixei momentum aegre quisquam nimia miratione offendet. Ceterum de gradu ille praestantiae, qua apud Homerum alias excellit, ne hic quidem delapsus est; immo tam honorificis a Diomede verbis ex principum numero expeditionis socius elegitur[1]), unde quam maxima in eum gloria profluat.

Ulixis imago in Iliade haud indiligenter depicta multo amplius etiam in *Odyssea* illustratur. Ac primum quidem quae de *domesticis rebus* docemur, satis magni momenti sunt. Pelopis enim et Oedipodis familiis discordia aut scelere dirutis[2]) quanto regia Ithacensium domus amore contineatur, vel inde apparet, quod ob filii, quem mortuum credunt, maestitiam Anticlea mater necem sibi conscivit[3]), pater Laertes regno et urbe relictis in praediolo vitam agrestem degens ipse quoque mortem exoptat[4]); Penelopa, uxor omnium fidelissima, post viginti etiam annos absentis mariti conubium a centum procis defendit; Telemachus cum avita sceptra aegre sustineat, longinquas Pylum et Spartam peregrinationes facit, ut dilecti patris vestigia tandem exploret.

Eodem fere atque propinquom illi studio dominum Eumaeus Euryclea Dolius, amicum sociumque Menelaus et Helena[5]) prosecuntur. Quid, quod summus ipse Olympi regnator Ulixi admodum favet[6]) eiusque divina filia inde ab expeditionis initio[7]) omni semper, qua potest, vi ac benevolentia ei suffragatur? Siquidem vir, quem tanta mortales immortales caritate diligunt, prae ceteris animos nostros allicit, non minus admiramur, quod invicem parentes uxorem filium servos servasque[8]) cives ac populares[9]) socios[10]) hospites[11]) *unica pietate ac favore* circumplectitur et *egregiam in deos reverentiam* rebus et adversis et secundis observat. Huc pertinet etiam *patriae amor*, quo ductus fumum certe Ithacae suae aspicere concupiscit atque omnia molitur et perpetitur, ut cum sociis, postmodo ipse saltem ad penates reveniat Tali autem consectatione nonnullae excitantur virtutes, quae nescio an longe amplissimae Homerico Ulixi gloriae fuerint. Namque immutabili semper *perseverantia* institutum urget con-

---

[1]) K 241 sqq. [2]) λ 271 sqq. 409 sqq. [3]) ib. 85. 202. [4]) ο 354. [5]) δ 104 sqq. 242 sqq. [6]) α' 65 sqq. [7]) γ 219 sqq. 379. [8]) ξ 138 sqq. [9]) β 234; ε 12. [10]) α 5 sq. [11]) τ 314 sqq.

silium, qua in re si quando prosperi eventus spe decipitur, flebilibus ille quidem lamentationibus dolorem effundit[1]), effuso dolore longius constantia non caret. Ac moderatur, quicquid gerit et incipit, recta ratione dexteritate prudentia; quibus virtutibus quoniam omnes homines multo superat[2]), et Troiae capiendae momentum facit[3]) et cunctis tandem erroribus et periculis fauste perfungitur. Manat ex hoc mentis acumine discriminum copia saepius accenso et adaucto astutia quaedam et mendacii libido: enimvero quod Cyclopem, beluam immanem, fraude ac dolo capit, ne acerrimus quidem censor istud crimine notabit; magis fortasse nescio quis in eo offenderit, quod quater Ulixes fabellas plane confictas Minervae tunc incognitae[4]), ipse incognitus Eumaeo[5]) Antinoo[6]) Penelopae[7]) imponit. Favet tamen adprime his dolis suavissima Laertiadae facundia, qua extemplo Nausicaae animum sibi conciliat; iam vero, dum itinera narrat, Alcinoum[8]), alias Eumaeum quoque[9]) admiratione quam maxima imbuit. Igitur non minus quam in Iliade disertus, ceteras etiam, quibus illic floret, virtutes in Odyssea quasi retinet. Fortitudinem enim animique praesentiam, virtutes ad Troiam demonstratas, in Polyphemi quoque spelunca et inter procos ostendit; in utroque carmine si nimis multi ac validiores hostes ipsum circumveniunt, etiam fugere scit[10]), denique sicut olim luctatione Telamonium vicit necnon curriculo praemia meritus est[11]), ita Phaeacum adulescentulos disco superat[12]), pugnis domi mendicum prosternit[13]), Ithacenses iuvenes victurus sagittam per duodecim secures mittit[14]). Computatis autem tot universae corporis mentisque praestantiae testimoniis, praesertim nulla virtute desiderata nullo vitio aut scelere investigato, Penelopae nemo non assentietur, ut quae maritum ceteris omnibus viris longe praeferat his verbis:

δ 724 sq.: — πόσιν ἐσθλὸν ἀπώλεσα θυμολέοντα,
παντοίῃς ἀρετῇσι κεκασμένον ἐν Δαναοῖσιν —
et σ 204 sq.: αἰῶνα φθινύθω, πόσιος ποθέουσα φίλοιο
παντοίην ἀρετήν, ἐπεὶ ἔξοχος ἦεν Ἀχαιῶν.

---

1) ε 81 sqq.; ν 198 sqq. 2) γ 120 sq.; ν 291 sq. 3) α 2; χ 230. 4) ν 256 sqq. 5) ξ 192 sqq. 6) ρ 419 sqq. 7) τ 165 sqq. 8) λ 367 sqq. 9) ρ 513 sqq. 10) κ 120 sqq.; ι 236. 11) cf. p. 3. 12) θ 186 sqq 13) σ 116. 14) φ 359 sqq.

Quae cum ita sint, cum nullus profecto heros reperiatur, quem tanta laudis copia Homerus ornaverit, nemo mirandum esse censebit, quod ipsius Ulixis mytho posteri scriptores saepissime operam navaverunt. Qui quidem qua ratione in hoc argumento versati sint, ad normam supra descriptam nunc age contemplemur.

In Cypriis rapta muliere Graeciae pulcherrima Menelaus cum Nestore et Palamede universam obit Graeciam principes populosque ad arma suscipienda hortatum. Cuius expeditionis unum Proclus memorat eventum Ulixem, qui ficta insania militiam subterfugere voluit, Palamedis tamen astutia detectum et communi rei conciliatum. A Naupliade enim exitio in Telemachi pueruli vitam callide intentato amentiae pater renuntiare cogitur. Qua cum persona plane nova Ulixes compositus non mirum est, quod etiam in rerum conditione apud Homerum inaudita reperitur. Quamquam enim Cicero nescio quo errrore captus simulatam Ulixis insaniam a tragicis poetis inventam dicit[1]), quippe quos a Cypriis potius hoc argumentum mutuatos esse Procli testimonio satis confirmetur, non minus tamen Welckerus frustra erat[2]), iam ab auctore Necyiae, Palamede scilicet omisso, ficti furoris rationem habitam esse arbitratus: illic enim apud inferos Agamemno expeditionem paucissimis verbis absolvit[3]), unde nihil nisi Atridas solos ex Graeciae principibus Laertiadae secum ducendi gratia Ithacam petisse colligimus. Eo magis Welckero in hac ratione astipulamur, quod Jahnii opinione[4]), quasi stricto gladio Palamedes pueruli vitam tentaverit, recte explosa Ulixem iam in Cypriis arantis specie induta legatos fefellisse affirmat[5]), quae sententia et his comprobatur epitómes verbis: Παλαμήδους ὑποθεμένου τὸν υἱὸν Τηλέμαχον ἐπὶ κόλουσιν, unde hoc certe discimus sub aratro puerum ad mutilationem esse suppositum, et favet illi ipsa eiusdem viri sagacissimi emendatio, nempe κόλουσιν pro κόλασιν scribentis.

Itaque Ulixes iam hoc primo, quo post Homerum procedit, loco talis fere inducitur, qualem a Graecorum scriptoribus praecipue paulo inferioribus descriptum videmus. Quamvis enim apud Posthomerici etiam temporis auctores ampla plerumque virtutum

[1]) Off. III 26, 97. [2]) Cycl. II² p. 121. [3]) ω 115 sqq. [4]) „Zeitschrift für Altertumsw.“ 1834. nr. 5. p. 43. [5]) Cycl. II² p. 100.

copia excellat, haud raro tamen calliditas insidiarum ac simulationis plena probos mores infuscat, qui quo clariores et in Iliade et in Odyssea usque quaque enitescunt, eo gravius et acerbius inde a Pindari potissimum temporibus praestantia eius et integritas de excelsi ordinis sublimitate deiciuntur.

Manant autem ex illo Naupliadae dolo perpetuae heroum inimicitiae, quae alteri post aliquantum temporis spatium perniciei fiunt. Etenim iam hic Palamedis necem adiungere placet, quippe solum praeterea locum, ubi Cypriorum auctor sane non Proclo, sed Pausania teste[1]) apertam Ulixis mentionem moveat. Cuius in illum simultas permagnum deinde incrementum ex gravissima eius in Graecorum castris auctoritate capit, qua ceterorum principum virtutes magis magisque obscurantur. Nam quantum inventis ille saluberrimis et gratissimis de toto exercitu apud Troiam omnibus fere belli molestiis vexato meruerit, peculiari Cypriorum parte enarrasse atque hinc invidiam deduxisse Stasinus videtur, qua incensus Laertae filius cum Diomede aemulum piscantem itaque necopinatum interimit.

Ob merum igitur livorem odiumque privatum Ulixes illum e medio tollit, neque alteram huc rationem a Nostro apud tragicos poetas in Graecorum contione pressam rettulerim, quod propter detectum furorem ac periculum filiolo suo intentatum succenseat. Qua causa illic per speciem uti Ulixem satis inde apparet, quod neque ipse poenitere sese belli una cum ceteris suscepti ullo veterum librorum loco confitetur et Telemacho Palamedis minae ne minimo quidem detrimento fuerunt. Laertiadae autem mores, quos in posteriorum scriptorum poematis Homerica honestate interdum carere iam supra diximus, vel hic tales describuntur, qua viliorem speciem postea rarissime exhibeant.

Quod Proclus in Cypriorum paraphrasi alterum, ut vidimus, Ulixis facinus accurate exponere omisit, inde eum alias quoque res ab illo perpetratas pro stricto libelli sui ambitu silentio neglexisse nonne suspicari licebit? Ac primum quidem iam poeta ille antiquissimus Telepheae Ulixem fabulae inseruit. Quam diligentius eum tractasse iure nimirum hinc colligimus, quod omnia fere huius narrationis momenta, in quibus posteri scriptores,

[1]) X 31, 2 (1).

imprimis poetae scaenici deinceps versati sunt, iam in Cypriis Proclo teste inveniuntur. Unde siquidem vere efficiam, ut ea quoque, quae ad Ulixem spectant, Stasineo poemati possint restitui, illic etiam Telepho, id quod exoptat, Ulixe demum interprete contingit, qui qua est animi sagacitate, perspecto oraculi sensu, ne Pelides futuro itineris duci auxilium neget, prospero tandem eventu auctor gravissimus fit.

Porro iam in Cypriis, ut Iphigenia Dianae immolaretur, summopere Laertiadam suasisse verisimile est, cuius narrationis saepenumero deinde repetitae carmen illud primum haud dubie fontem exhibuit. Neque enim apud Proclum illa momenta desunt, quibus scriptores aevo inferiores ipsi quoque in commemoranda hac fabula inter sese consentientes utebantur. Quo in numero amplissimam materiem Euripides praestat, cuius in Iphigenia Aulidensi quaecunque narrantur, secundum Procli epitomen iam in Cypriis proposita erant: Calchantis nempe de Dianae ira eiusque origine vaticinium et duplicem virginis regiae quasi ad Achillis nuptias et ad Tauros per Dianae numen deductionem et hic et in tragoedia illa reperimus. Ubi qualis Ulixi persona sit, illuc si venerimus, explicabo; sed iam antea ex paucis fabulae locis, quibus immolationis auctor Ulixes exhibeatur, vetustiori narrationis formae Euripidem sese applicuisse collegerim. Favet huic coniecturae, quod Sophocles etiam, quem prae ceteris e cyclo epico argumenta paucis rebus mutatis petiisse infra videbimus, Ulixem in sua Iphigenia graviore etiam quam Euripides auctoritate exornat, quoniam ab illo ipse persona instructus mactandae virginis suasor inducitur.

Veniamus ad tertium poematis cyclici locum, ubi Ulixis partes probabiliter statui possint. Etenim Proclus Graecos iterum Aulide profectos in Tenedo insula cenam habuisse magnificam narrat, ad quam quidem Achilles sero vocatus seroque adveniens vehementissimas cum Agamemnone inimicitias suscipit. Quas quisnam composuerit, sciscitaturus vix Welckeri probabis rationem, qui quamquam in Sophoclea fabella, quae Ἀχαιῶν σύλλογος inscribitur, deprecatoris partes Ulixi fuisse monet[1]), in Cypriis tamen Palamedi

[1]) Cycl. II² p. 103; Trag. I p. 110.

potius concordiam deberi conicit; id quod eo magis est mirandum, quia Palamedem ipse vir ingeniosissimus paulo post in extremo demum carmine primas egisse affirmat.[1]) Accedit altera illa ratio iam supra adhibita et a Welckero ipso alias graviter pressa[2]), quod Sophoclem ab epicorum carminum exemplis nisi certa quadam causa permotum[3]) paene nihil deflexisse constat: qui si Palamedis intercessionem apud Stasinum invenisset, vereor, ut in fabula sua discordias componentem Ulixem facturus fuerit. Huic igitur, id quod optime meruit, tanquam restitui velim.

Sed alia etiam re perpetrata iam in Cypriis laus Nostri amplificatur. In illa enim cena Tenedia Philoctetes tam acri viperae ictu volneratur, ut in Lemno insula deinde ob foedum ulceris odorem virum relinquant. Quocum conspirat Ilias non solum de re ipsa, sed de secreto etiam saucii viri domicilio[4]): unam vero hanc satis magni momenti diversitatem carmina admittunt, quod in Cypriis Tenedo Philoctetam Graeci Lemnum transvehunt, in Iliade autem ubinam vipera Poeantium heroem dente laeserit, nusquam aperte docemur. Nihilominus in Lemno ipsa apud Homerum illud accidisse inde colligi poterit, quod Graeci Troiam petentes illuc ex itinere appellunt ibique liberalissimo hospitio excipiuntur[5]). Ubi si Philoctetes relictus est, vix ullo consilii auctore opus fuit, omnibus haud dubie et regibus et militibus volneris aspectu et foetore depulsis. Alia vero in Cypriis ratio erat Tenedo viri in aliam desertamque insulam portandi. Quod quis in animum induxisset tamque miserum hominem consulto quasi in exilium relegasset, nisi princeps quidam salutis omnium studiosus prodiisset aliisque, ut tollerent communem pestem, persuasisset? Et quemnam alium tale quid et invenisse et proposuisse consilium putas nisi Ulixem, qui si minus Euboici artificis instar inventis in vitae usum fructuosis splendet, at conata certe et consilia nonnunquam dolosa, saepius tamen saluberrima instituit? Quid, quod posteri scriptores Ulixi ipsi crudelitatem in Philoctetae miserias adhibitam disertis et atrocibus interdum verbis obiciunt, quibus tamen conviciis longe magis hoc premere deceat, quod ipse Laertiades et in Soph. Philoct. 5.

---

[1]) Cycl. p. 108. [2]) Trag. I p. 91. [3]) v. c. in Philocteta, cf. cap. III. [4]) B 721 sqq. [5]) Θ 230 sqq.

et apud Euripidem[1]) illum sese exposuisse haud invitus profitetur. Itaque cum hi loci eodem iure ad Cypria referendi videantur, quo illi quos supra illuc revocavimus, iam hic Ulixem exponendi Philoctetae auctorem fuisse satis opinor probabile est.

Restat, ut duobus illis facinoribus a Proclo aperte narratis quintam Ulixis in Cypriis actionem addamus, Helenae scilicet repetitionem. Qua in re nomina legatorum ab epitomes scriptore silentio praetermissa aliis testimoniis facile supplentur, velut iam Homerus oratores bis Ulixem et Menelaum dicit ab Antenore tunc benigno hospitio receptos[2]), tentatos tamen ab aliis Troianis vi atque insidiis[3]). Ex ceterorum deinde scriptorum numero praeterquam quod nonnulli (v. c. Herodotus) solius Menelai nomen premunt, quippe cuius omnium Argivorum maxime nimirum interesset, ut femina redderetur, alias vel Ulixes unus[4]) vel cum aliis[5]) Menelaum comitatus esse proditur: quin etiam Menelao plane omisso solos Ulixem et Diomedem expeditionis socios Dares c. 16. exhibet. Quae cum ita sint, cum Ulixes nusquam inter legatos illos non inveniatur, audacissimi est in Cypriis eum aut solum aut cum Menelao aut, si plures mandatum susceperunt, in eo numero fuisse infitiari. Ceterum hic quoque legationi eventum deesse Proclus aperte testatur, qui quamquam alia silentio praeterit, Stasini tamen narratio non dubito, quin ex Homericis locis modo laudatis apte amplificetur.

Et forsitan in statutis his meritis, quae per carmen illud Ulixem in suos contulisse vidimus, nondum quispiam acquiescat. Attamen duo loci, ubi et interfuisse et multum valuisse Ulixes iam in Cypriis coniciatur, paucis verbis hinc procul haberi possunt. Nihil enim cum Cypriis concordant, quae de Achille adulescentulo sub muliebri veste Scyri morante ibique ab Ulixe explorato necnon ad bellum suscipiendum perducto a scholiasta cod. Ven. 453. (B) ad Il. T 326[6]) huc referuntur; quam narrationem omnino praeterire licuit, nisi eam haec verba ab altera quidem manu adspersa (D)

---

[1]) cf. Dion. Chrysost. 59, 3. [2]) Γ 205 sqq. [3]) Λ 139 sqq. [4]) Ov. Met. XIII 198 sqq. Philostrat. Heroic. II 14. [5]) Dict. I 11: cum Palamede; Tzetz. Anteh. 154 sqq.: cum Palamede Acamante Diomede. [6]) ed. Dind. IV p. 222 sq.

subsequerentur: ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς κυκλικοῖς. Cui adnotatiunculae nescio an is fidem tribuerit, qui cum Ludovico Adam propterea quod Sophocles et Euripides[1]) tragoediis, tabula Polygnotus[2]) hanc historiolam proposuerunt, primum a cyclicis poetis confictam esse temere opinetur[3]); quasi ad unum omnia ab illis argumenta scaenici poetae mutuati sint. Istam vero rationem sublestissimam esse et per se patet et G. Hinrichsius in libri illius recensione[4]) sagaciter demonstravit, unde ista verba grammatici posterioris de fabulae fonte nimirum falsi additamentum esse veri certe simillimum fit.

Alter locus apud scholiastam cod. Marc. 476. ad Lycophr. 570. reperitur[5]), qui ad auctoritatem Pherecydis[6]) Anium Delium Graecis ex itinere ad sese venientibus persuasisse commemorat, ut novem apud ipsum annos versarentur, pollicitum insuper ab ipsius filiabus fore, ut largiter alerentur. Erat autem virginibus illis nomen Oenotropis, quarum prima, ut paulo ante in scholio narratur, per Bacchi gratiam omnia manibus impositis in vinum, altera in frumentum, tertia in oleum mutare poterat. Jam vero pergit grammaticus hisce verbis: ἔστι δὲ τοῦτο καὶ παρὰ τοῖς τὰ Κύπρια πεποιηκόσι, ubi vocabulum τοῦτο ad totam haud dubie, quae antecedit, narrationem referendum est. Tzetzes tamen, cuius uberrimas ad Lycophronem notas Welckerus tunc solas ante oculos habebat, idem nimirum atque vetus scholiasta dicturus haec profert: μέμνηται τούτων καὶ ὁ τὰ Κυπριακὰ συγγραψάμενος, quo in enuntiato Welckerus vocem τούτων genetivum feminini generis interpretatur, revocandum scilicet ad Anii filias[7]). Errasse hac in re virum clarissimum cognita grammatici adnotatione satis apparet; namque tota Lerii scriptoris historiola, quam a poesi Welckerus abhorrere dicit[8]), iam in Cypriis exposita erat: quo enim alio vocabulum τοῦτο spectare censes nisi ad totum illius fabulae argumentum? De Oenotropis autem cetera docemur a Tzetze, quo teste Agamemno in urbis obsidione exercitu suo annonae caritate graviter

---

[1]) cf. cap. III. [2]) Paus. I 22, 6. [3]) „Die Odyssee und der ep. Cyclus," 1880. p. 60. [4]) „Zeitschrift f. d. öst. Gymn." 1882. p. 190; cf. Roth. in Burs. Annal. 1881. I p. 302. [5]) ap. Kinkel. fr. ep. Gr. p. 29. [6]) cf. Mueller. fr. hist. Gr. I p. 94. [7]) Cycl. II² p. 518. [8]) Cycl. II² p. 108.

vexato per Palamedem a patre illarum petiit, ut Delo eas Danais auxilio mitteret. Aperte igitur Palamedem Tzetzes legatum pronuntiat; sed si quis Welckerianae interpretationi vocis τούτων fidem habuisset ac cetera, quaecunque illinc profluunt, accepisset, facile quicquid de Deliaca exercitus commoratione antea narratur, fabellam Deli insulae propriam putaret et, quod maxime presserim vel potius vetuerim, huc Od. ζ 164. referret, ad probandum inter legatos Delum missos ipsum fuisse Laertiadam. Sane quod Ulixes et Menelaus apud Simonidem Ceum[1]) Oenotropos vocatum illuc proficiscuntur, hoc a scholiasta perperam cum illo Odysseae versu componi Welckerus recte demonstravit[2]), ipse tamen in eo falsus, quod Ulixem iam in Cypriis sive cum Palamede, quem hic unum revera legatum fuisse ex Tzetzae testimonio didicimus, sive praeterea cum Menelao, quocum Simonides Nostrum in hac expeditione coniunxit, ad arcessendas Anii filias putavit emissum esse: hanc enim in Cypriis certe provinciam, cum testes alii desint, soli reddamus Naupliadae.

Porro quod scholiasta ad Eur. Hec. 41. p. 253. Dind. titulis confusis et Stasineo carmini et una Ulixi per vim obtrusit, tanquam in Cypriis ab Ulixe aut Diomede capta urbe Polyxena occisa sit, post Welckerum[3]) istud denuo refutare omitto. Eidem denique viro[4]) gratiam habemus, quod res alienissima recte hinc hodie arcetur. Revocavit enim Engelius[5]) ad hoc carmen nonnulla, quae in Ulixis adversus Palamedem oratione Alcidamantis nomini addicta[6]) inveniantur. Ubi cum et Ulixes et Palamedes aliique principes, ab Agamemnone ad cogendos duces et milites legati, totam Graeciam obeant, tamen quaecunque eis deinceps accidunt, parum ita comparata sunt, ut iam antiquissimo illo Cypriorum auctore digna arbitremur, quapropter amplius illic versari operae pretium non est.

Unde ad **Arctini Aethiopida** transgressi permagnam ibi quoque Ulixis partem esse intellegemus. Etenim Achilles simulatque a Thersita ob amorem, quem in Penthesileam videtur cepisse, con-

---

[1]) fr. 24. Bgk. III[4] p. 396. [2]) l. c. p. 109. [3]) l. c. p. 165. [4]) l. c. p. 165 sq. [5]) „Kypros" I p. 609 sqq. [6]) § 20 sqq. in Antiph. ed. Blass. p. 181.

viciis exagitatus maledicentissimi hominis monstrum funesto pugni ictu prostravit, statim inter Pelidam et Atridam ceterosque nimirum de foeda gibberi popularis caede iratos rixa conflatur, qua ductus ille, ut apud Homerum[1]), in Graeciam discessurus est. Quem cum Laertiades omni precandi ac persuadendi facultate intenta proficiscentem retineat et Lesbum deinde vectus sacrificiis ac piaculis caelestem iram procuret, non reddit modo fortissimum communi causae socium, sed Danaorum etiam exercitum a deorum poenis defendit.

Quod quanti duxerint Argivi, paulo post praemiis ei tributis in armorum iudicio ostenderunt, ubi hostes etiam, arbitri nimirum verissimi et aequissimi, sententiam ferunt Ulixi prosperrimam, sive, in Aethiopide si substiteris, captivi Troiani in ipso eum iudicio propter maiorem inter suos metum et auctoritatem Telamonio praeponi volunt, sive, ut in Leschae Parva Iliade, virgines, quas inter sese colloquentes legati subaudiunt, similiter suffragantur Laertiadae.

Paulo magis in eis rebus, quae post virorum certamen geruntur, Arctinum cum Lesche discrepare constat. Namque cum apud Leschem impetu per furorem in pecudes quasi in Graecos facto animos eorum Aiax tantopere exasperet, ut virum de suorum salute multis proeliis meritissimum ne efferre quidem dignentur (cf. Soph. Ai.), apud Arctinum ceterosque scriptores, qui eius auctoritati student[2]), adeo non est, cur Danai Telamonio succenseant, ut luctuosam eius sortem quam maxime deplorent. Eandem statuit causam Quintus Smyrnaeus[3]), qui sibi ipse parum constans ex alio carmine aliis in consortium copulatis Arctinum in adhibendis iudicibus Troianis, in accipiendo tamen furore Leschem sequitur. Maxime vero hoc presserim, quod Quintus Ulixem defuncto adversario plangorem lamentaque voventem facit[4]); neque enim tantulus auctor tale quid de suo promere mihi videtur, sed ab antiquo petere exemplo. Quod rebus quippe in Parva Iliade paulo aliter institutis Arctini poema intellegam, ubi aliis lugentibus et lamentantibus Ulixem non assensisse tantum, sed

---

[1]) A 169 sqq. [2]) Pind. Nem. VII 20. VIII 40. Isthm. III 57. Ov. Met. XIII 385 sqq. Tzetz. Posth. 489 sqq [3]) V 352. [4]) ib. 571 sqq.

magis etiam ceteris Telamonium laude sustulisse et quod victoria sua eximii viri salutem obverterit, deplorasse persuasum habeo. Favet nimirum sententiae meae, quod iam in Odyssea, quam ut omnes poetae cyclici ita Arctinus etiam paene ubivis respexit, Ulixes in plane alia quidem conditione[1]) Aiacis ne apud inferos quidem ab ira discedentis fatum magnopere miseratur, unde iam apud antiquissimos poetas pristinam Noster simultatem post illius mortem non retinuisse, immo in sinceram admirationem convertisse evincitur.

Maiorem etiam Ulixes animi liberalitatem in carmine **Leschae** demonstrat, qui qualem rerum finxerit conditionem, ex celeberrima Sophoclis fabula elucet[2]). Ubi cum Aiax propter impetus in populares suos incepti suspicionem omni nomini Graeco mortuus etiam tam acri odio sit, ut Agamemno corpus illius publice comburi vetet atque in loculo positum humari iubeat[3]), Ulixes defuncti adversarii sepulturae operam daturum sese atque ipsum efferre pollicetur, quin etiam, ut Welckero auctore[4]) Philostrati testimonium[5]) ad Leschae narrationem referamus, cum ceterorum admiratione arma ipsa, quae perniciei aemulo erant, in tumulo depositurus a Teucro demum hac inimici liberalitate admodum commoto retinetur.

In **Parva Iliade**, cuius poematis fines altera iudicii lectione exposita iamiam intravimus, Ulixes etiam Helenum ex insidiis comprehendit, quo circumvento vate Troiano non levissima expugnandae urbis conditio impletur. Captus enim Priamides Philoctetem Lemno Troiam esse ducendum canit, quod mandatum, siquidem Proclo fidem habemus, Diomedes suscipit. Sane quidem vel in hac expeditione Ulixes ab artis tragicae principibus minime neglectus, quin etiam solus ab Aeschylo orator in scaenam inductus est; ac plerique scriptores postea ipsos poetas tragicos, imprimis Euripidem secuntur, qui Diomedem non sine Laertae filio proponunt. Neque tamen Welckero assentiaris velim Ulixis nomen in Leschei carminis summario Proclum omisisse arbitrato[6]): nam

---

[1]) λ 552 sqq. [2]) v. 1376 sqq. [3]) Eustath.. p. 285, 34. Welcker. l. c. p. 533. Kinkel. l. c.fr. 3. p. 40. [4]) opusc. II p. 292. [5]) Heroic. XII 3. [6]) l. c. p. 238 sq.

quanto rectior altera Proclo strictim applicandi sese ratio sit, subsequenti loco satis illustratur.

Narrat enim deinceps epitomes scriptor mandatum Ulixi esse, ut Scyro Neoptolemum deduceret. In hoc etiam ille perficiendo negotio a Quinto Smyrnaeo cum Tydida coniungitur[1]), quem exigui ingenii scriptorem quoniam non tam in suo consistere quam quaecunque verbosius evolvit, aliis debere constat, forsitan hanc quoque rem quispiam ad Parvam Iliadem rettulerit. Qua tamen causa inductum Proclum vel hic bis alterum principem neglexisse censes, qui quidem infra in raptu Palladii narrando et Ulixem et Diomedem expressis verbis commemorat? Nec probabile videtur id quod Welckerus alias[2]) profert, ut saepenumero unum alterumve in talibus rebus exponendis silentio praeteriri demonstret; denique quod descriptionem imaginis[3]) miratur[4]), ubi solus Tydides Philoctetae arcu potiturus depingitur, nihil mirandum putemus, sed magis profecto vel haec nostrae sententiae favet. Itaque cum illic tum hoc loco fidem epitomae tribuerimus, in utraque expeditione principibus singulis contenti[5]).

Nova hic in scaenam Neoptolemi persona inducitur, quippe qui apud Homerum — id quod rerum sane ordini par est — in transitu tantum ac breviter memoretur[6]). Jam vero Pelidae iuveni Troiam deducto Ulixem arma patris dedisse Proclus testatur, ea nempe, de quibus ipse quondam cum Telamonio funesta lite certaverat. Quo praemio alteri concesso omnem una maculam luit et exprobrationem, quae in ipsum fortasse ob Aiacis mortem ex immodicis conviciatorum linguis manabat.

Sed quamvis duo illi socii novissimi adducti multum Argivis prosint, eis tamen mox ad validiora etiam praesidia confugiendum est. Equom dico ligneum, quo in excitando apud Leschem non tam Ulixem interesse quam Epeum reperimus. Quod iure quispiam miretur, praesertim cum Minerva, quam Nostro et apud hunc auctorem et in Arctini Aethiopide maxime propitiam vidimus,

---

[1]) VI 64 sqq. VII 169 sqq. [2]) l. c. p. 121. not. 48. coll. p. 107. not. 30. [3]) Paus. I 22, 6. [4]) l. c. p. 239. not. 4. [5]) Solus Ulixes Neoptolemum arcessit etiam ap. Tzetz. Posth. 532 sq. [6]) Il. T 326. λ 508 sqq.

subdolum illud consilium Danais suppeditet[1]). Accedit quod, nonnulli scriptores, Pallade etiam silentio plane praetermissa, celeberrimam hanc fraudem utique Laertiadae calliditati honorifice assignant[2]), quem unum quasi idoneum putant, qui tantum artificium invenerit. Nihilominus Welckero et propter istos fabulatores et ob manifestam Leschae in Ulixem benevolentiam in Parva iam Iliade eum abiegni monstri conditorem esse suspicanti[3]) nequaquam astipulor: retinet nimirum Lesches Odysseae narrationem, ubi durateum equom Epeus a Minerva adiutus aedificat[4]).

Neque tamen illo minora interim Ulixes molitur. Haec enim Proclus: Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενος ἑαυτὸν κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης περὶ ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται κτείνας τέ τινας τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται. Qua in narratione una certe res adnotatione Tzetzae ad Lyc. 783. suppletur, qui, poeta Iliadis Parvae teste adhibito, Ulixem a Thoante plagis contusum esse exponit, ὅτε εἰς Τροίαν ἀνήρχοντο δυσμενεῖς. Sed his in ipsis verbis duo momenta cum Procli narratione pugnant, quae nisi textu emendato expediri non posse existimo. Namque cum apud Proclum αἰκισάμενος ἑαυτὸν scriptum videamus, hic mulcandum ille tergum Thoanti praebet; porro epitomes locum per se contemplanti aliter interpretari non licet nisi solum Ulixem Troiae intrasse moenia: hic contra nescio qui aut quot viri periculum subiisse dicuntur. Quam duplicem discrepantiam qua ratione solvamus? Praeter Tzetzem Lycophronis poesi alium quoque grammaticum operam impendisse supra vidimus, qui ad hunc locum plane idem adnotat, nisi quod ultimum deest vocabulum δυσμενεῖς. Cum vero Tzetzes vetere scholiasta auctore usus sit vel potius eum transcripserit, istam vocem non de suo aspersit, verum irrepsit ea in hunc locum ex linea insequenti, ubi vocabula quaedam versus 784. his verbis explicantur: παλεύσῃ· ἀπατήσῃ τοὺς δυσμενεῖς ἤτοι τοὺς Τρῶας[5]). Quo glossemate deleto numeri tamen pluralis difficultas remanet, qui per se acceptus vix alio referri

---

[1]) Proclus: καὶ Ἐπειὸς κατ' Ἀθηνᾶς προαίρεσιν τὸν δουράτεον ἵππον κατασκευάζει. [2]) Philostr. Heroic. XI; Polyaen. Strateg. I, 9.; Quint. Smyrn. XII 108 sqq.; Tzetz. Posth. 631. [3]) l. c. p. 271 sq. [4]) θ 492 sqq. [5]) cf. Od. δ 246: ἀνδρῶν δυσμενέων κατέδυ πόλιν εὐρυάγυιαν.

potest quam in Ulixem et Thoantem, homines proxime laudatos. At quoniam Thoas in expeditione illa Laertiadae nusquam adiungitur, maxime dubitandum est, num ex solis istis scholiis, quorum alterum ab altero descriptum cognovimus, Thoantem illius periculi socium colligere liceat; nam insani profecto Danai fuissent, si Ulixi vilissimum habitum gerenti similem comitem addidissent ac duobus missis speculatoribus temere hostium movissent suspicionem. Itaque aut ipsum errasse grammaticum aut, id quod magis nimirum arridet, loci lectionem ita fere corruptam esse putem, ut pro ἀνήρχοντο potius scribendum sit ἀνήρχετο: solus Ulixes suisque ac Thoantis pugnis foede mulcatus in hostium urbem illabitur.

De expeditione ipsa quaecunque epitomes scriptor ad Leschae auctoritatem enarrat, tantopere cum Homerica descriptione[1]) conveniunt, ut alias etiam res ad illius poema instaurandum mutuari possimus, velut Ulixem ab Helena liberalissimo hospitio receptum esse, iam vero sanctissimis iurisiurandi verbis obstrinxisse eam, ne hostibus ipsum proiceret. Inde vero, quod illo Odysseae loco Ulixem sola Helena cognoscit[2]) neque cum Antenore ab Homericis carminibus nequaquam alieno[3]) nulla hic pactio initur, ne in Parva quidem Iliade illum consilii socium statuerim, nedum — id quod Euripides demum in Hecuba lepide confinxit[4]) — illam cum Priameia coniuge pactionem iam hic ponere liceat.

Jam vero Palladii raptum, quem in transitu modo attigimus, Ulixes cum Diomede perpetrat, quorum utrumque incepto interfuisse testimoniis ad Leschem referendis aperte demonstratur: Procli enim verba Hesychius s. Διομήδειος ἀνάγκη amplificat proverbio ex hac Parvae Iliadis historiola deducto. Alii quidem scriptores eam aliter enarrant, inter quas tamen lectiones ad carmen cyclicum illa tantum ab Eustathio[5]) et Zenobio[6]) descripta redit; ubi cum uterque vir in urbem vere invaserit, haec ratio plane cum tabula Iliaca conspirat, cuius in particula ad Leschae auctoritatem composita et Diomedem et Ulixem e cloaca videmus

---

[1]) Od. δ 242 sqq. [2]) ib. v. 252. [3]) Il. Γ 148 sqq.; H 347 sqq. [4]) v. 239 sqq. [5]) p. 822, 17. [6]) III 8; cf. etiam schol. Plat. Republ. IV p. 439.; Suid. s. v.

egredientes. Propter hoc unum opinor momentum altera, quam Conon[1]) testatur, fabulae forma hinc procul habenda est: hic enim Diomedi Ulixes in murum ascensuro tergum umerosque subdit, quibus innixus ille rursum enititur; iam vero Tydides in pinnam elatus socio relicto solus signum furatur, quam laudem ne alteri dimidiam concedat, illud, quo potitus sit, non verum ab Heleno rapi iussum, sed alterum nullius pretii simulacrum esse mentitur. Qua tamen in fraude eum Ulixes Minervae favore adiutus convincit et fugientem ense intentato non sine magno illius et periculo et dedecore ad Danaorum usque castra persequitur. Quacum fabulae ratione si alteram carminis Leschei conferimus, in ea scilicet Laertiades vice versa fidem laedit: uterque enim, ut iam dixi, rapit Palladium, sed in reditu demum Ulixem, qui ut solus praedam ad mares ferat, sodali antecedenti insidias struit, ille propere conversus superat ac vinctis deinde manibus quasi captivom ad navalia trahit. Itaque quem supra prius deceptum alterius fraudulentia, sua tamen virtute illo superiorem vidimus, invicem hic, i. e. ad antiquissimam narrationis formam, in ipso parricidii consilio deprehenditur[2]).

---

[1]) Mythogr. Gr. ed. Westerm. p. 139.

[2]) Sane quidem iam Welckerus (Cycl. II² p. 243.) hac in re tabulam Iliacam respexit, parum usurpavit tamen ad interpretandam fabulam. Neque enim istud acceperim, Cononis narrationem ad Parvae Iliadis indolem propterea magis quam Zenobii esse idoneam, quod in illa Ulixes et melior et felicior proponatur. Namque — id quod iam supra (p. 16.) monuimus — quamvis Laertiades magnis nimirum multisque hoc carmine laudibus afficiatur ac rebus gloriose gestis splendeat, iniuria tamen Welckerus iterum ac saepius Leschae poema quasi laudationem Ulixis interpretatur, quin etiam, ut in Lemnia vidimus expeditione (p. 15.), invitis auctoribus illum fabulis quibusdam obtrudit. Improbo etiam magnopere Michaelis rationem, qui in egregio libro, qui „Griechische Bilderchroniken" (1873) inscribitur, enarratis duabus lectionibus, utra Leschae reddenda sit, diiudicare dubitet (p. 31). Satis enim, ut denuo dicam, causa hac una discernitur ratione, quod et apud Zenobium et ad tabulae Iliacae rationem uterque heros intra muros fuisse statuitur.

De virorum hucusque reditu verba fecimus, quippe qui ad depingendos Ulixis mores summi momenti videatur; parum raptus ipse in propatulo est atque illud etiam ignoramus, iam apud Leschem numquis praeter Helenam, quacum Ulixes, solus antea in urbem ingressus, de rapiendo Palladio consensit, duos heroes adiuverit. Sed quoniam ab Ulixe Helicaonem, Antenoris filium, in nocturno Troiae incendio recognitum atque e mediis victoribus servatum esse apud eundem Leschem infra videbimus, nonne eum iam antea patris certe Antenoris mentionem fecisse probas, praesertim cum, quod apud Homerum[1]) et Stasinum[2]) in Helenae repetitione Ulixes in illius domum receptus dicitur, istud a Lesche, carmen suum ab armorum iudicio incipiente, aegre memorari potuerit? Itaque non Helena modo, sed etiam Antenor eiusque familia, imprimis Theano, quam in tragoediis inveniemus, iam hic furto favent casusque Ulixis amplificant.

Interea autem equo ligneo Epeus extremam quasi manum imposuit iamque in eo est, ut fortissimi viri in illius alvom sese immittant. Quo in numero Ulixem esse quamquam Proclus aperte non commemorat, huius tamen rei nulla opinor dubitatio existet. Ceteri enim scriptores alius licet alium heroem silentio praetereat, Ulixem omnes vel maxime premunt[3]), quin etiam a nonnullis ultimus inscendisse et ianuam clausisse ac custodiisse narratur[4]).

Hos omnes quidem auctores sunt fortasse, qui ad Leschem quam ad Homerum referre maluerint: etenim iam in Odyssea ille cum Menelao Diomede aliis principibus in monstro durateo sedisse[5]), porro omnium quasi rerum administrationem curamque ostii suscepisse[6]) exponitur, quapropter illi hoc antiquissimo historiolae fonte uti potuerunt. Sed ipsam Homeri fabulam vel hac in re Leschae descriptioni satis similem esse uno certe comprobatur momento, nempe quod illa de Anticlo narratiuncula ab Aristarcho ex Odyssea in cyclum relegatur[7]). Num vere criticus Alexandrinus omnino iudicaverit, hic non discernam; tantum vero constat in poemate cyclico illum virum partes

[1]) Il. Γ 205 sqq.; Λ 139 sqq. [2]) cf. supra p. 11. [3]) Verg. Aen. II 261; Hygin. fab. 108; Quint. Smyrn. XII 314 sqq.; Philostr. Heroic. XI. [4]) Triphiod. 200 sqq.; Tzetz. Posth. 674 sqq. [5]) δ 280 sqq. [6]) θ 494; λ 524. [7]) schol. Harleian.

quasdam tenuisse, unde demum historia in Homericum locum manavit. Ac recte nimirum primus Bernhardyus[1]), relicta C. G. Muelleri[2]) opinione, qui fabellam ad Arctini Ilii Persida rettulit, deduxit potius e carmine Leschae, cuius ad artem festivam magis quadrat quam ad severiorem illius indolem. Ulixes autem manu sua Anticli verba edere conati oribus obiecta cum omnium Danaorum saluti necnon totius belli successui optime prospiciat, eandem, qua alias floret, industriam demonstrat et animi praesentiam.

Neque minus viri persona in ipso urbis excidio effulget, quod et a Lesche et ab Arctino fusius videtur expositum. Ac primum quidem ponere Ulixem licet in *recuperanda Helena*, qua ut potiatur Menelaus apud Homerum certe cum Laertiade Deiphobi domum petit et atrocissima pugna conflata victoriam Minerva iuvante consequitur[3]). Quo in narrando periculo Milesium poetam Proclus, Pyrrhaeum versari scholiasta ad Ar. Lys. 155. autumat, Ulixe ab illis quidem non memorato. Nihil tamen obstat, quin ad Homeri auctoritatem apud utrumque easdem fere partes Ulixi tribuamus, quod si probaveris, non levem ei partem una concedes.

Nec tamen solum Ulixes Menelaum commilitonem in Parva Iliade tuetur, sed hosti etiam de Graecis optime merito in acerrima caede summoque vitae periculo saluti est. *Helicaonem dico Antenoridam* (p. 20.), quem Ulixem in caligine fortuito cognovisse et beneficiis familiae illius in memoriam sibi reductis ad tutum locum transtulisse Pausanias Leschae auctoritate usus[4]) commemorat. Versatur enim ille hoc loco amplius in describendis lesches Delphicae, quam vocant, picturis, tabula praecipue celeberrima, qua Polygnotus captae Troiae incendium divine oculis proposuerat. Ac secunda factum est fortuna, ut illud ipsum, quod hic Ulixes perpetrat, ad Leschae narrationem a Pausania referatur: Helicaonem saucium ille quidem e media pugna eripit. Unde Welckerus[5]) recte nimirum ceterorum quoque Antenoridarum servationem, quam

---

[1]) Hist. Litt. Gr. II$^3$ 1 p. 247; secuntur Welcker. Cycl. II$^2$ p. 536; Kinkel. l. c. p. 43. [2]) De cycl. Graec. ep. p. 124 sq. [3]) ϑ 517 sqq. [4]) X 26, 7; Welcker l. c. p. 537.; Kinkel. p. 44. [5]) l. c. p. 247.

Pausanias brevi post describit[1]), a Polygnoto item ad Leschae exemplar depictam, quin pantherinam pellem, quam bis apud Sophoclem inveniemus (cap. III.), iam in poemate cyclico primum esse adhibitam.

Inter octo fabulas, quas Aristoteles[2]) e Parva Iliade derivatas enumerat, ad ultimam nimirum carminis partem hae spectant: Ἰλίου πέρσις, Τρῳάδες, Ἀπόπλους. Mitto verba consumere de prima tragoedia, cuius auctorem quamquam G. Hermannus reprobata sagacissime Welckeri sententia non Aeschylum, sed Agathonem esse demonstravit[3]), nihil tamen nisi dramatis nomen ad hanc memoriam pervenit, ubi quidnam fecerit Ulixes, quaerere istud piscari in aere est. In Troadibus porro Euripidis Ulixes ipse in scaenam non prodit; iterum tamen iterumque ei Hecubam sorte tributam audimus[4]). At quoniam alterum, quod ibi narratur, Ulixis facinus, Astyanactis caedem, non ad Leschae, verum ad Arctini exemplum esse descriptum videbimus (p. 24.), vereor, ut Euripides illud etiam miserae reginae servitium Milesio potius auctori debeat, praesertim cum inter Leschae fragmenta captivarum aut praedae distributionis ne minima quidem memoria reperiatur; quamquam in tam tenui ac lubrica fontium conditione illud certe argumentum apud utrumque poetam tragicum narrari potuisse haud invitus profiteor. Denique Ἀπόπλους a Welckero[5]) aliis astipulantibus[6]) eadem fabula ac Sophoclis Polyxena dicitur, in qua virginis regiae immolationem abitumque Graecorum tractata esse vel ex nominibus apparet. Quod si argumentum Aristotele teste ex Parva Iliade manavit, Welckerus[7]) parum sibi constans dubitat, num a Lesche quoque mactatio illa describatur. Longe minus quidem hoc constat, utrum hic Ulixis mentio facta sit necne; qui tamen cum apud posteros scriptores[8]), ut ad placandos Pelidae manes immoletur virgo, graviter suadeat, idem iam antiquissimum epici carminis auctorem prodidisse quis non crediderit?

Haec hactenus Lesches; Ulixis vero in **Arctinea Ilii Perside** actio et proventus tragoedia Sophoclis, cui nomen est Aiax

---

[1]) X 27, 3. [2]) Poet. c. 23. [3]) Opusc. VIII. p. 129 sqq. [4]) v. 277 sqq. 421. 427. 1270 sq. 1285 sq. [5]) Trag. Gr. I p. 178. [6]) cf. Nauck. Trag. Gr. p. 195. [7]) Cycl. II² p. 247. [8]) Eur. Hec. 132 sq.; Dict. Cret. V 13; Quint. Smyrn. XIV 178 sqq.; Tzetz. ad Lycophr. 323.

Locrensis, et celeberrima Polygnoti imagine suppeditatur. Namque cum Proclus in narranda Oilidae iniuria Ulixem silentio praetereat, ex picturae descriptione, quam Pausanias instituit[1]), supplicium ab Aiace sumendum maxime illum rogare luculenter apparet. Nec minus in Sophoclis fabula deficientibus etiam ceteris praesidiis accusatorem ponere licet Laertiadam, qua in re nemo dubius erit, quin clarissimus auctor pro suo cyclici epici amore et studio[2]) Arctinum primum fabulae auctorem[3]) secutus sit. Tollitur autem Ulixis sententia et consilium refringitur Aiace ad Minervae aram confugiente. Ubi supplici apud Arctinum Danai utrum protinus veniam indulserint an, id quod Sophocles finxit, peieranti demum poenas remiserint, illud diiudicari nequit. Ulixem tamen scelesti utique viri multandi fuisse auctorem inde efficitur, quod teste schol. Od. γ 133. Minerva ob inultum Aiacem cum duriorem omnibus Graecis reditum fecit tum nefario isti paravit exitium; quo spectant etiam Procli verba: ἔπειτα ἀποπλέουσιν οἱ Ἕλληνες καὶ φθορὰν αὐτοῖς Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται. Itaque non ob aemulationem simultatemve dux Ithacensis hic in commilitonem invehitur, sed suorum magis saluti operam ministrat.

Optima Lehrsii emendatione[4]) accepta, ad quam in extrema Procli epitome duo enuntiata initium a vocabulo ἔπειτα petentia inter sese permutantur, iam veniamus ad immolationem Polyxenae. Cuius rei num iam apud Arctinum Ulixes auctor fautorve sit, non magis sane apertis testimoniis firmatur, quam qualem Lesches fabulam instituerit (cf. p. 22.); tantum tamen prae ceteris suspicari licebit hic quoque vel potius hic primum Ulixem quam maxime favere consilio, perficere illud Neoptolemum: quae quoniam fabellae forma apud satis multos reperitur scriptores posteros[5]), vel ab antiquissimo rei auctore talem fere compositam esse mihi quidem pro certo valet.

In tanta testimoniorum inopia ac tenuitate valde gaudere decet, si quid certius de singulis viris narratum occurrit: hic tandem

---

[1]) X 31, 1. [2]) Athen. VII p. 277 E; cf. Welcker. Trag. I p. 91. [3]) Apud Homerum enim mentio rei strictissima fit; cf. Welcker. Cycl. II² p. 195. [4]) „Litterar. Centralblatt". 1874. p. 668.; cf. Kinkel. l. c. p. 50. [5]) cf. p. 22. not. 8.

Proclus ab Ulixe Astyanactem esse occisum commemorat. Fallitur hic Welckerus, quod ad Leschae exemplum apud Arctinum quoque ipsum pueri necandi ministerium a Neoptolemo, non ab Ulixe perpetratum censet. Achillis quidem filius in Parva Iliade privato ductus consilio puerulum de turri praecipitat[1]; alias tamen idem huius supplicii auctor nunquam innuitur. Namque praeterquam quod Menelaum interfectorem semel Servius secundum alios, ut ait, testes exhibet[2]), quam fabulae formam unde ceperit, spissis tenebris obvolutum est, Servius eodem loco ad aliorum auctoritatem ab Ulixe deiectum esse Astyanactem prodit, quocum et alter Servii locus[3]) et in universum certe Seneca in Troadibus Triphiodorus[4]) Tzetzes[5]) conveniunt. Inter quos Seneca quamquam maxime nimirum suo Marte argumentum tractavit, universam tamen fabulae structuram ab Accii demum tragoedia, quae Astyanax inscribitur, mutuatus est: quapropter apud hunc quoque poetam Ulixes non modo callidus pueri occulti index[6]), sed inexorabilis etiam carnifex statuendus videtur. Aegre quidem discernas, cui tragico Graecorum poetae Accius materiem debeat; neque enim in Troadibus Euripideis utrius manu nobilissimi viri filius deiciatur, satis apparet, quoniam nihil nisi graviter ac vehementer Ulixem suasisse supplicium[7]) nec vero a quonam istud sumptum sit, usquam perspicue indicatur[8]). Welckerus videlicet, quod in hac fabula Ulixes Astyanactis necem rogat, hoc ad confirmandum suam rationem satis habere sibi videtur, quia apud Arctinum quoque Ulixem tulisse modo hanc rogationem nec vero perfecisse existimat. Sed probata etiam C. G. Muelleri et Welckeri sententia, secundum quam versus ille a Clemente Alexandrino[9]) proditus:

νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει —

ad tale Ulixis in Ilii Perside consilium pertinet, inde tamen, quod Laertiades in Danaorum contione hostis acerrimi filiolum occidi iusserit,

---

[1]) Paus. X 25, 4.; Welcker. l. c. p. 539; Kinkel p. 47. [2]) ad. Aen. II 457. [3]) ad Aen. III 489. [4]) v. 644 sqq. [5]) Posth. 734. [6]) cf. Ribbeck. Trag. Rom. p. 412 sq. [7]) Eur. Troad. 721 sqq.; 1120 sq.; 1134 sq.; 1173 sqq. [8]) Hoc propterea moneo, quod in hac re ipsa Euripides, quem Aristotele teste (Poet. c. 23.) Troadum materiem Leschae debere scimus, ab auctore suo aliquantum digreditur. [9]) Strom. VI p. 747 P.

nequaquam evincitur perlata et accepta rogatione ipsum deinceps sua manu sumpsisse supplicium. Euripides, ut vidimus, in narranda Ulixis rogatione acquievit; apud Arctinum fieri non poterat, quin ipsa etiam caedes exponeretur: hic vero Ulixem esse carnificem et illi posteriores, quos attuli (p. 24.), scriptores, antiquioris nimirum poetae auctoritatem secuti, ostendunt et quodammodo etiam Proclus his epitomes verbis comprobat: καὶ Ὀδυσσέως Ἀστυάνακτα ἀνελόντος Νεοπτόλεμος Ἀνδρομάχην γέρας λαμβάνει. Ubi an nimis longum epitomatori brevitatis sane studiosissimo futurum fuisse censes, si — ut vera sit Welckeri opinio — ita fere enuntiatum pepigisset: καὶ Ὀδυσσέως βουλεύσαντος Νεοπτόλεμος Ἀστυάνακτα ἀνελὼν Ἀνδρομάχην γέρας λαμβάνει —? At istud adeo non in mente habebat, ut interfectorem apertis verbis Ulixem significaret.

Crudelissime quidem Ulixes in puerulum se gerit; nec tamen cruoris siti aut mera inducitur saevitia. Etenim iam apud Arctinum haud dubie similibus utitur rationibus atque quas apud inferioris aetatis scriptores afferre solet; atque ipse versus saepius tentatus, si omnino Arctini est, aptam perspiciendae ratiocinationis ansam praebet: Ulixes hic periculum esse dicit, ne Hectorea proles, si aduleverit, facile vindicatura sit patris interitum. Quocum particula certe notae a Servio ad Aen. III 489. aspersae plane congruit[1]), ac brevis etiam Hygini[2]) narratio huc revocanda videtur. Minus id quod Servius praeterea exponit, Graecos ad patriam redituros contrariis ventis prohibitos esse, iam prisco poetae epico tribuere ausim: olet hoc argumentum magis opinor scaenicam poesin, cui ad nodum quasi nectendum tale quid gratissimum erat. Ulixes autem quomodocunque ratiocinatus est, Homerici herois habitum tali rogatione proposita utique exuit.

Sequitur apud Proclum bellicae praedae distributio, qua memoria fretus Ulixi hic urbis eversae reginam obtigisse iam supra in transitu suspicatus sum (p. 22). Ubi si vere illos Euripidis versus ad Arctini poema revocavi, eodem iure eos huc referam auctores, ad quos postea haec narratio penetravit[3]).

---

[1]) — „eo, quod si adolevisset, fortior patre futurus vindicaturus esset eius interitum.“ [2]) fab. 109: — „Sed cum Achivi Troia capta prolem Priami exstirpare vellent“ — et q. s. [3]) Hygin. fab. 111; Senec. Troad. 990 sqq.; Dict. Cret. V 13; Quint. Smyrn. XIV 21.

Atridarum denique discordiam, quam profecturis tandem Danais conflatam esse Proclus in narrando Nostorum argumento testatur, iam apud Arctinum statuere Welckerus[1]) iure meritoque dubitat, cui sententiae, desideratis certis testimoniis, libenter astipulati ad aliud iam cycli poema traducimur. Graecorum enim profectio, quam breviter illic narratam vidimus, fusius exponitur in **Agiae Troezenii Nostis**. Petit autem Proclo teste initium poeta ab illo discidio, quod Minervam Atridis de reditu ambiguis intulisse iam in Od. γ 136 sqq. senex Pylius narrat. Namque iram deae Agamemno priusquam ancorae solvantur sacrificiis nimirum sedare studet; Menelaus non item, qui cum regium fratrem in hac re operam perdere bene perspiciat, suffragatur potius reditui. Qua in dissensione principes ita in duas partes discedunt, ut M e n e l a u s c u m N e s t o r e e t U l i x e domum rediturus T e n e d u m p e t a t. Inter quos tamen altera a Jove rixa conflata Ulixe duce nonnulli in regis summi ditionem revertuntur. Qui quali sorte deinceps usi sint, amplius Nestor non persequitur, atque illud etiam latet, unde exortae sint inimicitiae. Neque in dulcioreloqui viri narratione Laertiades praecipua auctoritate floret: immo cum in aliis plerumque carminibus Ulixem principum discordia seiunctorum viderimus conciliatorem, hic ipse quoque discedentium partes secutus relicta communi causa auget discordiam. Bellum tamen decennale expertus optime scit Laertiades, quanto quamque egregio amore ipsi haec dea faveat, quippe quae in atrocissimo quoque Ulixem discrimine servaverit et acerrimo nonnunqam periculo divinitus eripuerit; neque postquam cum Nestore et Menelao Tenedum transvectus est, forti ille liberove caret ingenio. Ignoramus, quam ob rem partes modo susceptas tam brevi temporis spatio interiecto remiserit; inde tamen, quod statim ad rem desertam revertitur, poenitentia quadam ac meliore instinctu commotum denuo sortem suam cum summi principis consilio communicasse vix falso collegerim. Atque cum Agamemnone Ulixis fortunam non ita longum tempus coniunctam fuisse ex Aesch. Ag. 805 sqq. elucet. Quae si Atridae verba per se nimirum levissima vel huc convertere licebit, Tenedo ille Troiam redux solus princi-

[1]) l. c. p. 188.

pum Graecorum Agamemnonem deinde ipsum quoque Troia discedentem comitatus, paulo tamen post ab illius classe ventis nimirum delatus est[1]). Cuius primum vestigium postea demum in Thraciae oppido Maronea reperitur, ubi Neoptolemus Ulixem offendit. Qui conventus quamquam ab Odyssea alienus est, illuc certe Ulixes venisse expressis verbis memoratur. Est enim Maronea prius Ismari nomen[2]), atque hanc Ciconum urbem Ulixes cum Troia veniret delevisse, deinde tamen vehementissimo barbarorum impetu cum suis depulsum sese Phaeacibus exponit[3]). Addendum videtur, quod Laertiades in Polyphemi speluncam e navi utrem vino refertum secum portat, a Marone Ismario Apollinis sacerdote dono acceptum[4]). Longius hic a certis firmisque fundamentis Stiehleus recedit, qui cum Neoptolemi redeuntis cum Ulixe conventum alias nusquam memorari aperte dicat[5]), tamen Pelidam fingit Maroneae invenisse Laertiadam, quocum sepulto Phoenice iter persequeretur[6]). At enim nihil scriptum videmus apud Proclum Ulixem comitatum esse Neoptolemum; immo vestigium illius hic quasi deficit neque alio huius poematis loco exploratur. Nam plane hinc procul habuerim, id quod de Nostorum Necyia philologi quidam contingebant; ubi quis ad inferos descenderit, omnino latet; Ulixem tamen eum fuisse ne Welckerus quidem, qui bis in hanc rem inquisivit[7]), ullo modo statuere ausus est. Quaecunque tamen vir acutissimus nescio quo Colophonio Nostorum scriptore cum Troezenio confuso Agiae insuper Nostis inserit, ista meo quidem indicio huius carminis fines aliquantum excedunt; omnino Agias si vere Laertiadam in sequenti etiam poematis spatio usquam induxit vel potius induxisset, ad illius, quantum perspicitur, structuram errantem illum describere Ulixem oportuit; quo incepto stultissimus profecto fuisset: neque enim post Homerum scribere Odysseam aptius est quam — ut est in proverbio — post Homerum Iliadem.

Ut huic ipsi carmini Homerico Aethiopis et Ilias Minor, deinde

---

[1]) μόνος δ' Ὀδυσσεύς, ὅσπερ οὐχ ἑκὼν ἔπλει,
ζευχθεὶς ἕτοιμος ἦν ἐμοὶ σειραφόρος,
εἴτ' οὖν θανόντος εἴτε καὶ ζῶντος πέρι λέγω.

[2]) Tzetz ad Lycophr. 818.; Harpocr. s. Μαρωνεία; Hesych.; Suid. s. v. [3]) ι 39 sqq. [4]) ib. v. 197 sq. [5]) „Die kyklischen Nosten", Philol. VIII p. 69. [6]) p. 68. [7]) Cycl. $I^2$ p. 262 sq. $II^2$ p. 297 sq.

Ilii Persis, denique Nosti continuantur, sic Odysseam, cuius argumentum peculiaris nimirum pars Nostorum intellegi potest, **Eugammonis** poema subsequitur. Quod quamquam ab Ulixis et Circes filio nomen **Telegoniam** duxit, primas tamen hic in Odyssea ipsa Laertiades tenere mihi videtur, filio illo in fabulae Troianae complexum leviter inserto. Procis enim interfectis et a suis sepultis Ulixes postquam nymphis sacrificavit, boum greges aspectum Elida petit, ubi a rege Philoxeno benigne receptus pretiosa patera donatur. Quas res, quantum fieri potest, Welckerus cum quibusdam Odysseae argumentis sagaciter coniungit[1]), sed laxissimis vinculis hoc loco Odysseam et Telegoniam inter se contineri ipse dicit, velut ne causa quidem expeditionis enucleari potest. Brevi tamen post revertitur Ulixes, atque tunc quidem alterum eius et Penelopae filium nasci statuerim, cui teste Eustathio[2]) nomen Arcesilaus inditur. Quem eundem esse, quem in Thesprotide illa ἐπανήκοντι ἐκ Τροίας Ὀδυσσεῖ τεκεῖν τὴν Πηνελόπην Pausanias testatur[3]), in propatulo est, quamquam Welckerus Thesprotida et Telegoniam confundi rectissime vetuit[4]).

Atque Ulixes Ithacam redux sacrificia a Tiresia quondam praecepta[5]) perpetrat, qua in re miram et obscuram cum vatis Thebani iussu discrepantiam premere, non temerariis coniecturis expedire decet. Multo magis etiam mythus ea, quae sequitur, carminis parte amplificatur. Ulixes enim denuo Ithaca profectus ad Thesprotos pervenit et Callidicam uxorem ducit Thesprotorum reginam. Quam nationem quo consilio ductus petat, a Proclo quidem non docemur nec discerni poterit, numquo iure Welckerus[6]) hanc expeditionem ad illud Tiresiae in Odyssea praeceptum revocaverit. Thesprotorum igitur regno potitus eorum proinde dux in Brygos progreditur. Quo in bello proelia in Troiana planitie commissa Nostro quasi redintegrantur. Nam sicut apud Homerum caelicolae descendere et alius heroi alii propitius in acerrima quaque pugna primas gerere solent, ita hic quoque Mars et Minerva proelio sese immiscent, dea scilicet etiamtunc Ulixi propugnans ac bene-

[1]) l. c. p. 302 sqq. [2]) p. 1796, 45; cf. Welcker l. c. p. 545; Kinkel p. 58. [3]) VIII 12, 5. [4]) l. c. I² p. 291 sq. [5]) λ 119 sqq. [6]) l. c. II² p. 306.

vola, infestus ac funestus ille quidem belli arbiter Gradivos. Quas acies divino spiritu studioque incensas Apollo tandem seiungit, quem partes Ulixis adiuvisse inde credo effici potest, quod illi procos etiam occidenti die ipsi sancta victoriam dederit[1]).

Sed defuncta Caelidica cum Polypoetae, quem filium illa ex Ithacensi advena peperit, regnum obveniat, ipse in patriam revertitur. Ubi qualis fortuna eum maneat, tam plene ac dilucide Proclus describit, ut in huius narratione interim acquiescere iuvet. Eodem enim temporis momento, quo Ulixes domum rediit, Telegonus a Circe patrem investigatum dimissus Ithacam appulit, quam, ut est heroicae aetatis pirata et praedo, sine ulla dubitatione depopulatur. Quo in discrimine Ulixem suis auxilio advolantem, ipsi tamen incognitum manibus collatis interficit, perspecto errore patris mortui corpus cum Telemacho et Penelope ad Circen transfert, quae postquam illos immortales reddidit, a Telemacho ipsa, pristina Ulixis coniux a suo filio in matrimonium accipitur.

Hucusque cum Procli patet epitome tum cyclus etiam epicus pertinuit[2]), cuius finibus tota Ulixis historia circumscribitur. Cyclo igitur scriptores posteri gravissima Ulixeae fabulae argumenta debent, in quibus tamen qua ratione lyrici et scaenici poetae versati sint, priusquam percontemur, paucissimis denuo lineis, quanta vi et auctoritate hic floreat, adumbrare in rem erit.

In Stasini Cypriis primum Ithacae a Palamede simulatae insaniae convincitur, Argis deinde Telephum, impetrata pro hoc ab Achille volneris sanatione, ducem itineris Troici peritissimum expedit; Aulide porro ut Iphigeniam immolandam exhibeat, patri persuadet; tum in Tenedio convivio Atridam et Pelidam inter se discordes reconciliat indeque Philoctetam prospecta suorum salute Lemnum transfert, iam a Troianis vel cum solo Menelao vel cum aliis nonnullis Helenam repetit et eventu sane destitutus atque ab hostibus minis circumventus Antenorem tamen Graecis benevolum reperit; Palamedem denique ut aemulum gloriae suae, communicato cum Diomede consilio, subdole in aquas praecipitat.

In Arctini Aethiopide Achillem cum Atridis de Thersitae

---

[1]) Od. ω 156. 278; φ 258; χ 7. [2]) Phot. Bibl. cod. 239. p. 319a B.

nece maxime discordem et a propera profectione retinet et Lesbi sacrificiis expiat, in armorum iudicio a captivis Troianis dignus praemio declaratur, Telamonii tamen mortem cum ceteris Argivis deplorat eumque honorifico funere ipse effert.

In Leschae Parva Iliade ex armorum iudicio virginum Troicarum sententia et gratia Minervae victor progressus adversarii per insaniam defuncti feralibus interest; Helenum vatem per insidias deprehendit, Neoptolemum Scyro in suorum castra deducit paternisque armis exornat; dum equos exstruitur, ipse mendici habitu velatus Ilium intrat et cum Helena de expugnanda urbe necnon de Palladio rapiendo consilia communicat, iam cum Tydida signum furatur et in struendis insidiis ab illo captus omnium cachinuo committitur, equi interea confecti curam suscipit ab ipsisque hostibus eorum patriam tanquam triumphans invehitur: totum urbis evertendae consilium, cui Anticli imprudentia summum discrimen paratur, opportuna alacritate servat ac paene restituit; ea tandem capta Menelao uxorem recuperanti adest opitulans; Helicaonem, cuius faucibus letum instat, cum salute eius et cum Danaorum gloria e medio proelio eripit; in captivarum sortitione Hecubam fortasse nanciscitur; Polyxenam denique in Achillis tumulo mactandam esse seu primus iudicat seu huic decreto aliqua ratione suffragatur.

In Ilii Perside Arctini Troiam invectus Menelao coniuge potituro auxilio est: de Oilida in numem divinum impio salutis suorum servandae gratia supplicium sumendum esse frustra ille quidem arbitratur; Polyxenae mactationem nescio an hic quoque suadeat; stirpem Hectoream sua manu exstinguit; Hecubam in praedae distributione servam nanciscitur; denique cum ceteris, ut videtur, ad patriam petendam Troade discedit.

In Agiae Nostis initio Menelai et Nestoris causam secutus mox Tenedo ad summum regem revertitur ac postea demum ab illius classe delatus Maroneae forte Neoptolemo obviam fit.

In Eugammonis Telegonia post expeditionem Eleam haud satis perspicuam hecatombis et suovetaurilibus perpetratis alterum longiusque ad Thesprotos iter suscipit, ubi postquam maritus Callidicae factus Brygos acie instructa feliciter prostravit, redux tandem in patriam a Circes suoque filio cominus interficitur.

Ex quo conspectu per cuncta Ulixem haec carmina non minoribus quam apud Homerum partibus uti, quin etiam ille in Iliade quam tenet personam et auctoritatem, aliquanto etiam superari eam cognoscimus. Attamen Laertiadae in cyclo epico partes et facinora, si paulisper Telegoniam relinquimus, magis nimirum cum iis conferri possunt, quibus splendet in ipsa Iliade. Sane quidem nonnullis certe rationibus Ulixis, qualis in Odyssea propositus est, admonemur; velut quod initio belli, ut arma sumat, a se impetrare vix potest, tale quid cum amore, quo illic patriam suosque complectitur, optime conspirat. Similiter expeditione illa, quam indutus mendici persona suscipit, in altera quasi Odysseae parte collocamur, ubi item Ulixes hominem egentem simulat. Sed hic ipse dolus ab altero illo graviter hoc discernitur, quod Troiam communis suorum commodi gratia irrepit: communis vero causae studiosissimum virtute facundia consiliis maxime se praestat in Iliade. Cum hac igitur cycli carmina de Ulixe saltem apte comparare licet: nam quomodo illic Ulixem saepenumero dimicantem vidimus (p. 3 sq.), ita hic in acerrima pugna, cuius naufragus etiam atque undis summopere vexatus recordatur[1]), simul cum Aiace Achillis corpus e media hostium acie eripit; cum Diomede porro illic Dolonem occupat ac Rhesi bigas furatur, hic Helenum capit ac Palladium subducit; Thersita illic, hic Anticlo ad silentium compulso expeditionem iam ad irritum vocatam restituit; Achillem denique illic ad exiguam certe conditionem permovet (p. 4 sq.), apud Stasinum Tenedi, Lesbi apud Leschem in perpetuum reconciliat. Praeter haec tamen facinora rebus in Iliade gestis similia passim ille amplioribus etiam factis perfunctus in ipso cyclo dignissimum profecto se praestat, quem Homerus, ratione nimirum totius belli habita, iterum iterumque prae ceteris Ilii exstinctorem nominaverit. Ornantur sane honorifica hac appellatione alii etiam viri, Oileus maximeque Achilles; sed quod Oileo, Aiacis minoris et Medontis patri, semel cognomen illud contingit[2]), parum huc pertinet; nihil enim heros ille ad bellum Troianum, nihil ad Ilii excidium confert, utpote quem tunc perdiu mortuum multo ante

---

[1]) ε 308 sqq. [2]) B 728.

inter Argonautas inveniamus. Pluris quidem Pelidae appellationem aestimaveris, sed hic etiam quamvis Hectore interfecto mirifice de suis meritus sit, alio illa vix spectat nisi ad multas quidem istas urbes, quas per novem priores belli Troiani annos ex itinere nonnunquam evertit. At longissime haec laus ab illo Ulixis nomine recedit. Quem quoniam Troadis urbes delevisse in Iliade nihil scriptum video, voce illa unam urbem, Troiam scilicet ipsam, subaudiri oportet: facinoribus illis cunctas fere inde a belli initio delendae urbis conditiones et fortissime et faustissime explevit. Bellicam igitur publicamque Ulixis gloriam cycli epici scriptores quam maxime auxerunt; attamen illius moribus iidem foedissimas quasdam impegerunt maculas. Nolim nimium premas agendi rationem, qua Ulixes in Philoctetam Aiacem Oilei filium Iphigeniam homines populares, barbaros Astyanactem Polyxenam fortasse Hecubam quoque utitur: nam qualemcunque eis omnibus sortem molitur, prospicit plerumque suorum saluti. Cogito potius de vilissima sui cupiditate, qua seductus in Cypriis Palamedi necem, insidias Diomedi in Parva Iliade paret, ac de miris et fabulosis itineribus discidioque inter patrem et filium fatalissimo, quibus narratis ab Eugammone pulcherrimus ille Homerici Ulixis erga patriam familiamque amor violenter quasi evertatur. His sceleribus exponendis necnon amplificandis maxime posterioris aetatis operam scriptores impenderunt, quamquam eos quoque de militari Ulixis laude cum cyclicorum sententia conspirare hinc elucet, quod Strabo[1]) et Polyaenus[2]), ut exemplo utar, loco eodem adhibito Troiam esse deletam praedicant illius

βουλῇ καὶ μύθοισι καὶ ἠπεροπηΐδι τέχνῃ[3]).

Quo incerti auctoris versiculo iam traducimur ad ceteros antiquioris aevi poetas epicos, qui tamen quousque Ulixis respiciendi vel celebrandi occasione usi sint, carminibus tempore absumptis aegre hodie exploratur. Et ne Hesiodus quidem, quamquam integra eius poemata extant, talia tantave in illis evolvit, quibus viri historia aliquantum illustretur. Magnam sane enumerat progeniem, binos dumtaxat Laertiadae et e Circe et e Calypso filios, quarum haec Nausithoum et Nausinoum, altera Agrium et Latinum peperit[4]).

---

[1]) I p. 17. [2]) Strateg. I 8. [3]) cf. Kinkel. l. c. p. 73. [4]) Theogon. 1011 sqq.

Qua in re vates Ascraeus mirifice cum cyclicis carminibus discrepat, ubi nomina illa nusquam investigantur; nam quod post versum 1013., quo Circes filiorum mentio fit, alter eorum Telegonus inducitur, istud ad versum spurium redit, quem nec melioris classis libri exhibent et Eustathius, in hac Hesiodi narratione versatus[1]), omnino ignorat. Quem cum postea demum ex Telegonia vel potius a nescio quo Telegoniae perito huc inepte insutum appareat, ceteri versus illi pro Hesiodeis feruntur, ita certe, ut ad ingeniosam divini Wolfii sententiam[2]) ultima Theogoniae particula, quae a versu 963. initium petit, ex aliis nonnullis carminibus compilata et concinnata videatur. Iure tamen meritoque idem vir illustrissimus in ipsius Boeoti vatis fragminibus non acquievit, verum aliunde etiam, maxime ex cycli poematis fabulas huc confluxisse suspicatus est. Qua sententia continetur fortasse etiam v. 1017 sq., i. e. Nausithoi et Nausinoi memoria, quamquam ad quod cycli epici carmen referenda sit, nescimus; eos autem versus, quibus Telegoniae scriptore invito Agrius et Latinus Nostri et Circes filii perhibentur, multo inferiore aetate vel propter Latini nomen collocaverim, quod procul dubio Romani demum scriptores, utique fabulatores Romanorum litteris obnoxii Ulixis mytho inculcaverunt[3]). Quod siquidem satis constat, ne Calypsus quidem geminos superiore aevo ponendos arbitror, praesertim cum ex uxore illa Ulixem liberos suscepisse alias in Graecorum litteris nusquam memoretur nisi illo Eustathii loco, quo tamen hunc auctorem Καλυψοῦς pro Κίρκης scribentem calamo errasse rectissime Muetzellius demonstravit[4]). Ceterum alter hic Nausithous iterum apud Hyginum reperitur[5]), non Calypso ille quidem, sed item ac Telegonus, quocum illic componitur, matre Circe oriundus.

Quamquam Hesiodus belli Troiani notitia non caret[6]), fragmenta illa, quae quodammodo ad Ulixis historiam pertinent, non tam in Nostri ipsius sorte aut rebus gestis versantur quam ad homines spectant loca rationes, quibuscum necessitudine quadam

[1]) p. 1796, 48. [2]) Hes. Theog. ed. p. 140 sq.; cf. Muetzell. Emendat. Theog. Hesiod. p. 503. [3]) cf. Schwegler. Hist. Rom. I² p. 403. not. 27. [4]) l. c. p. 178; Welcker. l. c. II² p. 308 sq. [5]) fab. 125. [6]) cf. Op. 165. 652.

coniunctus est. Prae ceteris testimonium premamus aliquotiens repetitum, secundum quod Ulixis errores ab Hesiodo primo in Siciliae et Italiae regionibus marique Tyrrheno collocati sint: hoc enim Eratosthenes apud Strabonem[1]) et schol. Apoll. Rhod. III 311. testantur, quorum hic Circes insulam ab Ascraeo poeta in freto illo statutam dicit[2]). Alia quidem Odysseae loca, velut Sirenum et Calypsus insulas, Hesiodum non ob ipsius Laertiadae mythum respexisse, sed ad homines, qui habitabant illa, potius adnexisse genealogias et ex hoc ipso carminis, quod Catalogus inscribitur, consilio ac proposito et aperte etiam ex fr. 91.[3]) colligitur, ubi Alcinoi regis non, ut apud Homerum, uxori, sed sorori Aretae nomen inditum videmus: in stemmata igitur gentilia Homericas personas Hesiodus usurpabat, parum curabat fabulas ipsas, quae proinde domesticis et gentiliciis rebus obrutae magis magisque delituerunt[4]).

Praeter Hesiodum quaecunque ceteri epicae poeseos auctores suppeditant, nihil fere valent et parum firmis insuper testimoniis nituntur. Nam quod Asius effundit, cernitur in eo, ut de Penelopae sorore Meda nomine certiores fiamus[5]): hanc vero notitiam facile dimittemus. Cinaetho autem Lacedaemonius, quem eundem ac Cynaethum Chium esse non magis mihi quam Markscheffelio[6]) Welckerus persuasit[7]), praeter Heracleam et Genealogias Telegoniam Parvamque Iliada scripsisse dicitur, quorum tamen poematum ne nomina quidem satis constant. Igitur regione ista sterilissima digressi ad res transeamus aliquanto suaviores.

---

[1]) I p. 23; Catal. fr. 85. Kinkel. p. 115. [2]) ib. fr. 86. p. 116. [3]) ib. p. 117. [4]) Klausenus in libello, qui inscribitur: „Die Abenteuer des Odysseus aus Hesiod erklärt“ (1834), multa quidem atque ingeniosa docet, quae ad Ulixis itinera spectent: ab Hesiodo tamen cum errante Laertiada tantopere ipse quoque aberrat, ut expectatione, quam nemo non in tali libelli titulo posuerit, mirum quantum destituamur. [5]) Kinkel. l. c. p. 205. fr. 10. [6]) Hesiod. Eumel. Cinaeth. As. fr. p. 245 sqq. [7]) Cycl. I² p. 227.

# Caput II.

## Ulixes apud antiquiores Graecorum poetas lyricos.

Excipiunt iam nos ii scriptores, qui pro artis suae indole ac ratione mythos vetustos quam epici poetae longe rarius respiciant ac tales heroes celebrandi occasione si minus careant, at plerique saltem severas Martis et Minervae virtutes aspernati Cupidinem potius deum mansuetiorem venerentur. Nihilosecius quis lyricos poetas bellicam fortitudinem carminibus suis plane neglexisse putet? Quam cum praedicarent, imprimis haud dubie prisca virtutis exempla ad imitandum proponere decebat ac laudem iis heroibus largiri, quorum gloria temporibus non oppressa ex vetustissimis saeculis ad memoriam illam descendisset. Itaque in his etiam poeseos regionibus nonnulla testimonia, quae ad nobilissimum fabulae Graecae bellum spectent, offendemus, atque ne hic quidem desiderabitur Laertiades.

Mittamus tamen elegiacos poetas, inter quos Theognis in transitu Ulixis errores commemorat[1]); mittamus iambographos, quorum solus Hipponax rem Troicam attingit[2]), ipso Laertiade minime excitato. His iam relictis statim ad poetas melicos progrediamur.

Ac primum quidem Alcmanem toto carmine, quod post Welckerum[3]) lepide Bergkius resuscitavit[4]), Ulixis et Nausicaae fabulam descripssise inde perspicitur, quod scholiasta ad Od. ζ 244. simillimum cantilenae versum cum Homerico loco comparat. Nihil in rem est repetere, quae maxime fragmenta cum versibus quibusdam ex hac Odysseae parte depromptis conferri possint, uno tamen loco Ulixis ipsius nomen aperte scriptum videmus, ac paene quispiam solis loci verbis respectis novom hinc fabulae incrementum manare censuerit, siquidem legitur fr. 41:

Καί ποτ' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ὤατ' ἑταίρων
Κίρκα ἐπαλείψασα —[5]),

nisi grammaticus, quo vindice aetatem versiculi tulerunt[6]), expressis

[1]) v. 1123—1128. [2]) fr. inc. 42; cf. Brink. in Philol. VI p. 40. [3]) Opusc. I p. 240. [4]) Philol. XVI p. 590. [5]) Bgk. III[4] p. 52. [6]) schol. Il. Π 236.

verbis haec addidisset: οὐ γὰρ αὐτὴ ἤλειψεν, ἀλλ' ὑπέθετο 'Οδυσσεῖ. Itaque cum versus plane idem sibi velint, quod legitur in Od. μ 155 sqq., ubi quidem Circe, ut aures sociorum cera obturet, Ulixem praeter Sirenum insulas transvecturum hortatur, Alcman hic non tam mutavit mythi structuram quam Homerici loci paulo aliis et ambiguis verbis mentionem fecit.

Nullus olim poeta lyricus in fabulam Ulixeam tantum contulit, quantum Stesichorus,

> οὗ κατὰ Πυθαγόρου φυσικὰν φάτιν ἁ πρὶν 'Ομήρου
> ψυχὰ ἐνὶ στέρνοις δεύτερον ᾠκίσατο[1]).

Carmina enim, quae Iliupersis Helena Nosti inscribuntur, amplissima nimirum Laertiadae memoria instructa erant. Hoc de primo saltem cantu pro certo affirmari potest, quo Troiae excidium tam splendide Himeraeus poeta descripsit, ut non solum Dio Chrysostomus laudem Iliupersidi mirificam largiatur[2]), verum etiam qui tabulam Iliacam confecit, in hac argumenti parte fingenda illius auctoritatem sese amplexum pronuntiet. Quamquam igitur nullum carminis fragmentum exstat, qua de Polyxenae immolatione certiores fiamus, hanc rem tamen in imagine illa videmus expressam. Sane vero nuper vir eruditus, Lysander Konstas Neograecus[3]), qui et aliorum poetarum, quos auctores affert, libris et hoc Stesichoreo carmine tabulae opificem liberrime usum esse demonstrabat, hanc ipsam descriptionem ad Euripidem referre maluit, propter hanc unam causam, quod illa tragici narratio[4]) nimis cum hac picturae particula conspiraret, eum tamen Stesichori carmen plane exscripsisse parum probabile esset. At quamvis mihi multa Konstasii placeant, hanc rationem accipere nequeo, quippe qua etiam pauca, quae temporum edacitas nobis indulsit, testimonia quasi temere evertantur. In universum haud dubie imaginis delineationes in Stesichori poemate nituntur: hoc ipse vir doctus haud invitus concedit; cur tandem tali isto argumento aptissimas ratiocinandi ansas manibus nostris extorqueri patiamur? Euripidem nonne in scribenda Medea et universam tragoediae structuram et totos etiam versus ex cognomine Neophronis fabula haud dubi-

---

[1]) Anthol. Pal. VII 75. [2]) Or. 2, 33. [3]) diss. inaug. Tubing. 1876. p. 43 sq. [4]) Hecub. 556 sqq.

tanter mutuatum scimus?[1]) Et hic, ubi de leniore scaenae eiusdem descriptione agitur, quoniam ab Himeraeo ut a lyrico scriptore illa Talthybii nuntii narratio transferri non potuit, argumenti certe usum statuere vetabis? Qua reprobata sententia cum in hac tabulae imagine virgo genibus nixa et manibus vincta prope Achillis sepulcrum a Neoptolemo coram Calchante et Ulixe mactetur, illud in Stesichori carmen item vel similiter saltem expositum fuisse mihi pro certo valet. Laertiades igitur sacrificio utique adest, sed ne de hoc quidem dubito, quin, ut apud plerosque alios scriptores[2]), primus rei gerendae hortator fuerit.

Enimvero unum istud est, quod de Ulixis apud Stesichorum actione probabiliter statuatur; ac ne Ibyci quidem poesi in illustrandam Ulixis imaginem dumtaxat novi quicquam continetur, quoniam epitheta πολύτλας et Ἀρκεισιάδης, quae Diomedes ex Ibyco allegat[3]), iam ab Homero alterum Ulixi, alterum Laertae indita constat[4]). Hic quidem utroque vocabulo Ulixes ipse significatur.

Ex Simonidis etiam Cei carminibus notitiae nostrae fontes parcius ac minus pure profluunt; ipse tamen primus ac solus, ut videtur, Ulixem et Menelaum magno Danaorum exercitu Delum venisse narrat Oenotropos Anii filias deductum[5]). Iam supra in Cypriis versati hanc rem excitavimus, a quo quidem carmine Ulixis expeditionem propterea procul habendam esse arbitrabamur, quod in sola illa Tzetzae[6]) adnotatione nullius nisi Palamedis mentio fit. Ulixem igitur et Menelaum sine Naupliade ad Oenotropos arcessendas Delum legari primus testis Simonides est, qui quidem quomodo istud carmini inseruerit, hodie incompertum habemus.

Bacchylides in dithyrambo quodam commemorat, quo pacto Philoctetes a Lemno insula Troiam deductus sit: vaticinatum enim Helenum esse sine Alcidae telis urbem non expugnatum iri. Debetur haec notitia grammatico, qui ad Pind. Pyth. I 100. Bacchy-

---

[1]) Dicaearch. in Argum. Eur. Med.; cf. Nauck. Trag. fr. p. 565. Hoc retineo contra Wecklin. Eur. Med. p. 26 sqq. [2]) cf. p. 22. not. 8. [3]) Keil. Gramm. Lat. I. p. 321. fr. 11. Bgk. [4]) Hoc Od. γ 755; ω 270; illud sescentiens. [5]) fr. 24. Bgk. [6]) ad Lycophr. 581.

lides illud propter plenum cum Pindari narratione consensum allegat[1]). Sed vel hoc satis magnam movet mirationem. Pindarus enim in respicienda hac fabula brevissimus Hieronem aegrotum nihilominus contra hostes profecturum cum Philocteta comparat: nihil vero de Heleno addit, nihil de vatis oraculo. Quae cum prorsus omittat, num hoc loco de Bacchylide cogitaverit eumve auctorem secutus sit, addubitare quam probare maluerim; vix enim quisquam ostenderit, quodnam peculiare fabulae argumentum alias non memoratum apud poetas illos, Bacchylidem et Pindarum, inveniatur, praesertim cum ne de iis quidem, quibus viri deducendi cura alias mandatur, Pindaro accuratius quicquam Bacchylides moneat: hic legatos aperta mentione, ut videtur, non dignos existimat; ille missos certe ἥρωας ἀντιθέους dicit, nominibus non additis (cf. p. 42.). Manifestiora tamen fabulae Troianae vestigia in nonnullis incertae sedis fragminibus reperiuntur. Imprimis fr. 29. amplioris Cassandrae de Troiae excidio vaticinationis particula est, de qua in Ulixem aliquid hinc fortasse efficiamus, quod Horatius in carmine ad Bacchylidis auctoritatem composito expressam Ulixis mentionem hanc facit Carm. I 15, 21 sq:

„Non Laertiaden, exitium tuae
Genti, non Pylium Nestora respicis?“ —

quibus verbis Nereus, qui apud Horatium Cassandrae quasi vicem tenet, Helenae cum Alexandro Troiam proficiscentis menti iam antea Danaos brevi post eodem navigaturos poenamque sceleris repetituros proponit. Scaena igitur mutata fieri non poterat, quin Ulixis etiam mentio longe aliter institueretur; omnino tamen quicquid eius calliditas in Ilii perniciem molitura esset, apud Bacchylidem quoque Cassandram praenuntiasse verisimile est.

Obstant numeri, quominus ad idem carmen hoc referamus fr. inc. 38. Bgk.

μελαγχευθὲς εἴδωλον ἀνδρὸς Ἰθακησίου.

Veram haud dubie lectionem μελαγχευθὲς primus restituit Neueus, reliquiarum Bacchylidis editor, qui cum vocabulum illud „pulla mendici veste ornatum“ interpretetur[2]), de Ulixe Troiae speculatore

[1]) fr. 16. Bgk.: ταύτῃ τῇ ἱστορίᾳ καὶ Βακχυλίδης συμφωνεῖ et q. s.
[2]) in Bacch. p. 58.

cogitavit. Quod ne accipiamus, impedimento est explicatio vocis εἴδωλον . . σκιῶδες ὁμοίωμα ἢ φαντασία σώματος σκιά τις ἀεροειδής, quae verba ad nocturnum spectare mihi videntur periculum; ergo μελαγχευθὲς ad caliginem noctis revoco, ita fere verbis expositis: „Ithaci viri figura tenebris velata", quae nescio an ad Doloneam vel simile inceptum optime quadrent.

Sed ad Pindarum tandem solum illum aggredimur auctorem, cuius integra carmina aetatem tulerunt. Eo scilicet Pindarus a Stesichoro tanquam superatur, quod antiquas fabulas non ad huius exemplum fusius aut plenius evolvit, sed strictim in iis versatus alium plerumque finem persequitur, unde fit, ut in transitu tantum res quasdam proposito nostro utiles excutiat. Nihilominus unum inveniemus momentum, quo hae breves etiam veterum mythorum commemorationes et per se gravissimae et summa in posterum tempus auctoritate videantur[1]).

Ac primum quidem respici oportet fr. 260. Bgk.[4] ab Aristide[2]) servatum, unde Palamedis a Pindaro mentionem esse factam discimus. Ubi tamen maxime cavendum est, ne omnia rhetoris verba etiam Pindaro tribuamus; et quamquam Boeckhii et Bergkii aspernor sententiam, qui Aristidem ne τοῦ Ὀδυσσέως quidem Pindari esse, sed verba tantum: κυριώτερον εἰς σοφίας λόγον in nescio quem dicta opinentur[3]), tamen cum Welckero[4]) Pindarum nihil nisi Palamedem κυριώτερον τοῦ Ὀδυσσέως εἰς σοφίας λόγον nominasse, de vera inter duos heroes lite, quippe quae tragicis demum poetis debeatur, nondum cogitasse censeo.

Imprimis armorum iudicii mentiones ob singularem quandam Ulixis descriptionem notabiles sunt. Quam fabulam ex Arctini Aethiopide Pindarum in universum deduxisse inde colligitur, quod cum ad Aiacis mortem ὀψίᾳ ἐν νυκτὶ (Isthm. III 54.) factam grammaticus apud Arctinum quoque περὶ τὸν ὄρθρον τὸν Αἴαντα

---

[1]) Grata hic nobis Luebberti commentatio occurrit, quae inscribitur: „de Pindari studiis Homericis et Hesiodeis" (ind. schol. Bonn. 1881—82.), ubi quaecunque ex poetis ille deprompsit, optime exponuntur atque id solum est dolendum, quod fragmentis omnino neglectis materiem vir doctissimus non satis exhausit. [2]) II p. 339. Dind. [3]) Typorum collacatione istud significant. [4]) Trag. Gr. I p. 130.

ἑαυτὸν ἀνελεῖν monet[1]), tum de herois furore apud neutrum auctorem quicquam invenitur[2]). Praeter haec tamen congruentia momenta longissime a prisco auctore pergravis apud Pindarum Ulixis obtrectatio recedit. Omnino enim armorum iudicium ad hoc demonstrandum respicit, quantopere casta interdum ac simplex virtus, Aiacis nempe, invidia et calliditate, i. e. Ulixis, superetur eique postbabeatur. Verba enim magis in universum dicta:

(τύχα) — καὶ κρέσσον' ἀνδρῶν χειρόνων ἔσφαλε τέχνα καταμάρψαι

aperto statim armorum certaminis illustrantur exemplo, cuius exitus fatalis omnibus Danais Troiam profectis summae fuerit ignominiae. Ubi nemo dubitabit, quin κρέσσονα intellegi Aiacem oporteat, cetera autem verba ad Ulixem spectent; cui quidem loco tanta inest vehementia, ut in Nostrum inde gravissimum maneat opprobrium: numeratur enim ille in peioribus viris et quasi machinatione sua victoriam furatus sit, coarguitur.

Sed cum hic quidem Ulixis prae Telamonio praestantia tecte reprobetur, apertioribus etiam verbis illius gloriam Pindarus sub Homeri iustitia ac veritate impugnat (Nem. VII 20 sqq.). Quem pro sua suaviloquentia famam Ulixis ampliorem finxisse affirmat, quam quali propter adversam suam fortunam dignus fuerit (v. 21.), qua in re vel illud notandum est Pindarum, quaecunque in erroribus scilicet passus sit, magis respicere et quasi pluris aestimare quam cetera et praeclara illius facinora. Universam igitur Ulixis laudem ad Homerum revocat, quippe qui fallaci artis suae venustate omnium mortalium mentes ad benevolentiam erga Nostrum traduxerit.

Tertiam denique fatalis illius iudicii mentionem movet Nem. VIII. Cuius carminis quicquid in aliis fabulae Troianae regionibus versatur, ut consulto hinc procul habeamus, Ulixes hic vehementius etiam infestatur ob victoriam suam, id quod data opera sese ac plena conscientia facere Pindarus v. 20. profitetur. „Multa“, inquit „multifariam dicta sunt; nova vera invenientem tradere examini ad explorationem summum periculum“[3]). Ubi novom, quod

---

[1]) Welcker. Cycl. II² p. 525; Kinkel. l. c. p. 34. [2]) Dissen. ad Pind. ed. Boeckh. vol. II 2 p. 505. [3]) Boeckh. vol. II 2 p. 84.

cum scrupulo quodam profert, ipse sentit in eo inesse, quod Ulixis victoriam ad pravam vanamque fallendi habilitatem reducit:

— μέγιστον δ᾽ αἰόλῳ ψεύδει γέρας ἀντέταται[1]).

Neque hoc augetur honos Ulixis aut convicium illud minuitur quod alterum in ceteros Graecos crimen adiungit, qui Aiacis gloriae invidi falsis suffragiis causae Ulixis faverint; sed hac etiam invidiae mentione ad illud utitur monstrandum probis eam bellum inferre nec vero χειρόνεσσι (v. 21.), qua voce et hic et loco supra laudato (p. 39: Isthm. III 34.) haud dubie Ulixem significat.

Quae gravissimi auctoris iudicia plurimi aestimanda esse nemo negabit: etenim cuius mores ac virtutes omnium usque ad id tempus poetarum chorus amore ac favore persecutus est, indolem eius ac merita vates Thebanus primus quam maxime depressit. Cuius odii causae parum sane in promptu sunt, ac iure mireris, cur mens Pindari tanto minus quam ceterorum tunc scriptorum animi virtutum copia, qua plerumque excellit Laertiades, allecta sit. Sed iam cyclici, ut vidimus, poetae praeter egregia facinora, quibus suos semper Ulixes suorumque causam expedit, probra quaedam enarraverunt; quae si quis immodice pronuntiavit, facile illius in cyclo certe herois imaginem depravare et in peius effingere poterat. Accedit, quod apud illos ipsos poetas usque ferme Ulixes ut rei gerendae princeps magis facundiam usurpat et calliditatem quam quae apud Homerum praeterea virtutes effulgent. Pindarus autem, quem cycli poetis eadem diligentia atque Homero studuisse constat, eo facilius Posthomericam Ulixis speciem animo suo tradidit, quo vehementius eum pro ingenii sui liberalitate et sinceritate Ulixeae versutiae, pro gentis suae breviloquentia Ulixeae verbositatis pertaesum est. Quin etiam maritimis fortasse, quae in Odyssea fortiter ille superat, periculis et erroribus otiosa Pindari, ut hominis mediterranei, natura magis nimirum offendebat quam delectabatur. Denique qui mercatoriam internuntii illius et speculatoris industriam ei poetae placuisse censes, quem ob ipsam equestrem quandam nobilitatem ac sublimitatem prae ceteris admirari solemus? Quae Ulixis spernendi rationes quamvis ad paucos posterae aetatis scriptores pertineant et Pindari tanquam

---

[1]) v. 25.

propriae esse videantur, illi tamen satis multi auctores tragici comici rhetorici cupidissime hoc vafri Laertiadae fastidio potiti sunt. Thalia scilicet et Melpomena pravioris ac vilioris ingenii mortales adamant; et quis gentium causidicus mores adversarii probiores finxerit nimiamve ei tribuerit dignitatem?

Haec tamen accuratius persequi in tempore praestabit; nunc Pindaricus quidam locus restat, ubi Noster utrum intellegendus sit necne, paulo accuratius exploremus. Iam supra Pyth. I 100 sqq. Philoctetae mentionem fieri commemoravi, quocum loco Bacchylidis narratio a scholiasta confertur (p. 38.). Atque Pindarus quidem et alias fabulas et hanc strictissime attingit: aegrum scilicet ac saucium Hieronem in aciem profecturum cum prisco illo heroe comparat, qui ut arma in Troes susciperet, Λαμνόθεν eum arcessisse dicit ἥρωας ἀντιθέους (v. 100.). Luebbertus quidem illud ad parvam Iliadem referre non dubitat[1]), ubi tamen cum Proclo teste solum Diomedem iter Lemnium facere viderimus, parum hoc cum divinis heroibus Pindari conspirat, quos ad Leschae exemplum solum Tydidam eiusque socios ac nautas intellegere per Pindaricum vocabuli ἥρως usum non licet[2]). Luebberti autem opinione reprobata quaestio oritur, de quibusnam viris Pindarus cogitaverit. Qua in re primum Boeckhii improbamus sententiam, qui Ulixem et Neoptolemum dici affirmat: 'hanc miram quidem, sed pulcherrimam rationem scaenae quasi mutandae gratia post Aeschylum et Euripidem a Sophocle demum inventam esse scimus, quam si iam Pindarus statuisset, sine ulla causa Leschae narrationem neglexisset Diomede omisso. Hunc siquidem nihil erat, quin Pindarus quoque retineret, primus recte Welckerus iudicasse mihi videtur addito Tydidae Ulixe[3]). Quem qualem Pindarus

---

[1]) l. c. p. 15. [2]) Ohlert. diss. inaug. Regiomont. 1870. p. 5.: „Principes tantum et reges apud Pindarum ἥρως appellantur"; cf. etiam Rumpel. lexic. Pindar. s. ἥρως, adhibitis Nem. IV 29. et Isthm. V (VI) 28. [3]) Cycl. II[2] p. 239. Haud satis mihi hoc Disseni probatur (Comment. in Pind. Carm. II p. 186.): „pluralis universe accipiendus, ut Pindarus non discessisse a Lesche Lesbio videatur, qui unum Diomedem Lemnum abisse tradidit". Pugnat hoc cum laudata Ohlerti sententia eaque accepta cum numero plurali. Nec magis mihi Schneidewinus persuasit Philol. IV p. 650 sq.

fingat, modo vidimus, fallacem nempe vafrum versutum. Talem vero magis putabat idoneum, qui morosi et exacerbati hominis animum calliditate reconciliaret quam sincerum iustumque Tydei filium. Silentio igitur, praeter Diomedem a Lesche propositum, Ulixem subintellexit, ductus nimirum eodem fere sensu, quem lepide Apuleius his verbis profert: „Itidem cum rebus creperis et afflictis spectatores deligendi sunt, qui nocte intempesta castra hostium penetrant, nonne Ulixes cum Diomede deliguntur? veluti consilium et auxilium, mens et manus, animus et gladius?“[1]) ac simillime Eustathius: καὶ γίγνεται τῷ μὲν Ὀδυσσεῖ χεὶρ ὁ Διομήδης δραστικωτάτη, τῷ δὲ Διομήδει ὁ Ὀδυσσεὺς λόγος ἔμπρακτος[2]). Propter talem fortasse causam Pindarus inter primos sane Ulixis obtrectatores primus officium illud honorificentissimum praeter Diomedem etiam Ulixi tradidit.

Qui quamquam in universum nulla Pindari benevolentia aut gratia floret, tamen abhorruit ille a foedissimo in domum eius ac familiam opprobrio, quod nonnulli viri docti in fr. 100. Bgk.[4] invenire sibi videbantur. Ubi cum Pindarus Servio auctore „Pana ex Apolline et Penelope in Lycaeo monte editum“ dicat, satis multi hic de fidissima Ulixis uxore verba fieri opinabantur, quod ut probarent, turpissimum istud fabulatorum excitaverunt, Penelopam dico absente marito stupris perpetratis sive Mercurio deo[3]) sive cunctis procis[4]) filium procreasse Pana deinde appellatum. Quae tamen omnia ad hoc Pindari, quantum perspicio, prorsus nihil pertinent. Nam Prellerus in Mythol. Graec. I[3] p. 616. inde, quod in Arcadiae saltu Penelopam Apollini morigeratam esse Pindarus docet, omnino de cognomine nympha Arcadica, non de Ulixis coniuge verba fieri probabiliter existimat, quacum postea demum altera tanquam confusa sit. Quam viri eruditissimi sententiam amplexus turpem, in quam apud inferioris aevi scriptores casta Ithacesia incidit, suspicionem e Pindari certe carminibus istuc relegatum voluerim.

---

[1]) de deo Socr. XVIII 159. Goldb. [2]) p. 813, 60. [3]) schol. Theocr. I 123; VII 109; Cic. Nat. Deor. III 22; Hygin. fab. 224; Plut. Moral. p. 419 D; Lucian. Deor. Dial. 22, 2; Nonn. Dion. XIV 92. [4]) schol. Lyc. 766; schol. Theocr. I 3; VII 109.

## Caput III.

### Ulixes apud tragicos Graecorum poetas.

Aeschyli fabulam, in qua Ulixes ipse prodeat, nullam exstare scimus, verum omnes illas fecisse naufragium. Nihilominus si et antiqui mythi formam et Aeschyli in tractanda fabulari historia indolem respexerimus, qualem ille Laertiadam in scaena monstraverit, vix falso assequemur. Vidimus apud Homerum Ulixem unicum virtutis exemplar, apud cycli tamen poetas ut simili in universum animo instructum ita pravae parumper sui cupiditatis non expertem. Qui cum uterque morum habitus scaenae aptissimus videatur, nihil mirandum est, quod Aeschylus quoque antiquam fabulam amplexus Ulixem hic ad Homeri exemplum pariter ingenuum ac probum, hic duce quodam cycli scriptore etiam malignum descripsit. Velut in Penelopa, tragoedia ex Odyssea derivata, multum Ulixis mores illum mutasse iniuria opinaberis, contra in Palamedis fabula qui alium Ulixem proponi posse censes quam insidiosum commilitonis proditorem?

Sed ut ab Homericis illis ordiamur tragoediis, in Psychagogis, quod argumentum ex Odysseae Necyia repetitum esse iam Valckenarius in aurea Diatribe autumavit[1]), recte Welckerus primarias praeter Ulixem partes monuit esse Tiresiae[2]). Cuius in vaticinio olim inerat fr. 269., quo ultimum Ulixis fatum describitur. Auctor huius loci, schol. Od. λ 134., aperte narrationem Aeschyli propriam dicit; etenim cum in Eugammonis Telegonia Ulixem nothus ille filius pastinacae spina perfodiat, summus poeta tragicus ἰδίως aculeum per ardeae corpus iturum atque una cum stercore volantis avis demissum capitis pelli letiferum volnus illaturum esse confingit[3]). Merito nuper O. Crusius significavit, quam mirifice haec faceta narratiuncula a pulcherrimo mytho, qui in Od. λ 134. legitur, neque minus a Telegoniae fabula Sophocli deinde in suo dramate probata abhorreat[4]). Attamen Aeschylus in describendis Laertiadae moribus vix longe ab Odysseae

[1]) p. 286. [2]) Tril. p. 459. [3]) Solus hanc fabulae rationem Sext. Emp. adv. Gramm. p. 659. Bekk. retinet. [4]) M. Rh. XXXVII p. 310.

ratione deflexerit, neque habemus, cur Posthomerica quasi Ulixis imago vel huic tragoediae inserenda videatur. Plane idem de Penelopa dixerim. Quocum dramate fabulam illam, quae ab Aristotele loco vexatissimo[1]) 'Οδυσσεὺς ψευδάγγελος inscribitur, coniungere placet; etenim quamvis aliam Welckerus rationem statuat, non ignobilis poetae fabulam fuisse, quin etiam Sophocli tribuendam esse ipse suspicatur; pro Sophocle tamen Aeschylum ego ponere malim, cuius in Penelopa Ulixem falsi nuntii persona ornatum prodire satis apparet ex fr. 181. Nck.:

ἐγὼ γένος μέν εἰμι Κρὴς ἀρχέστατον.

Hoc enim versu totius fere fabulae argumentum indicatur. Cretam Ulixes falsa specie indutus simillime patriam perhibet atque apud Homerum[2]), ubi ne praemature a coniuge agnoscatur, ampliorem historiam sollerter compositam evolvit[3]).

In Iliade porro ut Ulixes hostibus repugnatis suorum usque saluti prospicit, sic in ea quoque fabula, cuius argumentum in illud poema redit, similem haud dubie bellicosi viri et in hostes inexorabilis personam tenet. In Aeschyli enim Phrygibus sive Hectoris Lutris provenisse Laertae filium Hermanno etiam invito suspicor, qui quidem sicut in Iliade solum Priamum praecedente Mercurio nec vero una Andromacham ad Achillem venisse arbitratur[4]). Sane quidem illi feminae partes in hac tragoedia fuisse vir summus concedit, non immemor scilicet fr. 261., ubi Andromacha ipsa appellatur; relegat tamen actionem eius in ultimam fabulae partem, quam reduce Priamo Troiae actam existimat. Sed probabilior hac opinione altera est, nixa in anaglyphis capuli Ephesii, cuius in uno latere depictum cernimus, ut Hector mortuus ad Aeschyli haud dubie exemplum auro solvatur. Ubi praeter Achillem et Priamum non modo uxor defuncti herois, sed Ulixis etiam figura in oculos cadit, utqui Astyanactem a matre deducturus abeat. Fieri enim potuit, ut sene ac muliere di-

[1]) Poet. c. 16. [2]) Od. I 180 sq. [3]) Quod maxime G. Hermannus (Aristot. Poet. edit. p. 170.), aliis quidem de Philoctetae fabula cogitantibus, alterum titulum in hanc Odysseae scaenam refert, hinc quoque praesidium meae sententiae ceperim, qua ductus Penelopae et Ulixis Falsi Nuntii nomina ad unam eandemque tragoediam revocavi.
[4]) Hermann. opusc. V p. 160.

gressis Ulixes cum altero, velut Nestore, in scaenam prodiret, quorum tamen hic nimirum Pelidae mentem erga supplices misericordem reddere, Laertiades contra, ne perfidis quicquam Troianis morem gereret, dissuadere studuit[1]).

Similiter Ulixes operam et facundiam communi causae ac toti expeditioni in Iphigenia et in Telepho impendit. De Aulidensi hic Iphigenia cogitandum esse ex uno, quod habemus, fragmento (89. Nck.) elucet, quo in argumento utut composito Laertiades aegre desideratur; et alterius tragoediae quamquam fragmina exstant levissima, tamen haec satis probabiliter momenta statuuntur. Cum Mysorum rex „pauper et exul"[2]) necnon a Pelida de volneris sui sanandi prece repulsus arrepto Oresti parvolo caedem minitetur iamque in eo sit, ut socii ac milites diutinam in castris commorationem indignati re infecta in suam quisque patriam revertantur, Ulixes in scaenam progressus et regum dirimit discordiam et, quod gravissimum est, tandem ab Achille impetrat, ut ad oraculi praeceptum hastae suae robigine ulceris pesti medeatur.

Duas igitur Ulixes Aeschyleus conditiones explevit, quibus bellum et expeditio ad deorum voluntatem obnoxia erant; tertiam difficultatem, qua quidem non tam navium abitus quam expugnatio urbis impeditur, in Philocteta superat. Imprimis autem mihi monendum est Lemnum hic advenire solum Ulixem, quem Aeschylus Dione Chrysostomo teste pro austera et sublimi artis suae indole δριμὺν καὶ δόλιον, ὡς ἐν τοῖς τότε, πολὺ δὲ ἀπέχοντα τῆς νῦν κακοηθείας induxit[3]). Huc spectat etiam, quod non opus esse censebat, ut ficta veste habituve Ulixes in scaenam prodiret, qui quominus a Philocteta agnosceretur, longa annorum series satis obstare illi visa est. Sed fabulae cardo in fraude illius vertitur, ubi, quaecunque verba Aeschylus Nostrum adhibentem fecit, Dio non solum honesta atque heroe dignissima, sed etiam ad fidem faciendam omnino apta dicit. Nam fraudulenter ille quidem, quasi ipse nescio quis Graecus Troiam cum ceteris olim profectus sit, verum spreta contortiore fallacia spretaque violentia aperta viro graviter pedis volnere aegrotanti ita-

---

[1]) Ribbeck. Trag. Rom. p. 129. [2]) Hor. A. P. 96. [3]) Or. 52, 5.

que telis etiam quamvis efficacibus parum armato Agamemnonem defunctum, Laertiaden turpissime ad inferos dimissum, totum denique exercitum ad ultimam perniciem redactum imponit: nunc rectum monet temporis adesse momentum, ubi Troia illi petenda ibique eximia quaedam gloria nullo negotio adipiscenda sit. Haec omnia, inquit Chrysostomus, non solum ad animum Philoctetae gaudio oblectandum idonea, verum propter belli longinquitatem ac periculum, quod vere tunc Achaeorum castris instabat, ne incredibilia quidem videntur; unde fit, ut id quod sibi volt Ulixes facile faustoque cum eventu consequatur. Sed acquiescere placet in his rhetoris verbis, quae ad mores illius delineandos et aptissima sunt et omnino sufficiunt; etenim qualis descriptio Ulixis in fabulae progressu fuerit, spissa licet caligine velentur: attamen hic potissimum nihil erat, cur ad vilitatem descenderet.

Aeschylus autem cum in Philoctetae etiam fabula, in qua posteriores tragoediae principes Ulixis mores Homerica praestantia orbaverunt, nobilem eum atque ingenuum proponeret, num aliter illum poetam quasi rem ibi gessisse putas, ubi ne ceteros quidem auctores nullam Ulixi culpam aut malignitatem tribuisse constet? Infra enim ad Sophoclis Aiacem aggressuri probos Laertiadae mores et scelere vacuos cognoscemus, qualis natura hac certe in causa neque ab Arctini neque a Leschae ratione longius, ut videtur, abhorret. Quapropter in Aeschyli quoque Armorum iudicio et in Thressis quamquam de suo commodo acriter nimirum prospicit, tamen honestum Ulixem et generosum iure ponemus. Sane quidem ab adversario cum probris ac conviciis peti apparet ex fr. 169. Nck., ubi matris illi cum Sisypho concubitus obicitur[1]). Neque tamen apud ipsos tragicos poetas

[1]) Miram hanc fabulam, cuius primum hic reperimus vestigium, ab Aeschylo inventam esse aegre credideris. Quae cum ab Odyssea prorsus aliena sit (cf. λ 593 sqq.) et ne apud cyclicos quidem poetas aptum illius locum reperiamus, fortasse genealogiarum scriptoribus debetur. Inter quos maxime de Pherecyde Lerio sive Atheniensi conicerem, utqui alteram de Sisypho fabulam a Sophocle una cum hac excitatam (Philoct. 623. c. schol. coll. v. 448.) proferat, nisi eiusdem narratiunculae iam Theognis in transitu memoraret (v. 702. sqq.). Itaque ad Acusilai vel etiam Hesiodi aetatem ascendere praestabit.

habitum ullius ex meris maledictis esse efficiendum vel Sophoclea, quam modo excitavimus, Aiacis tragoedia docebimur. Optime porro in Telamonii opprobria crimen fictae olim ab Ulixe insaniae quadrat. Aeschyli quidem fragmenta nullam tale quid statuendi ansam exhibent nec cognominis Pacuvianae fabulae fragmento VI. nimis mutilo, ut ipse Ribbeckius monet[1]), satis confidendum est. Nihilominus spes nostra loco Accii expletur, qui in tragoediam suam ad Sophocleae maxime Aiacis exemplar compositam nonnulla etiam ex Aeschylo dramate momenta mutuatus est. Quo pertinent imprimis versus illi fr. inc. inc. XXXI:

> Cuius ipse princeps iuris iurandi fuit,
> quod omnes scitis, solus neglexit fidem,
> furere adsimulare, ne coiret, institit:
> quod ni Palamedi perspicax prudentia
> istius perspexet malitiosam audaciam,
> fide sacratae ius perpetuo falleret[2]).

Ironice autem Aiax, quae ipse facinora perpetravit, adversario tribuit fr. inc. inc. XXXII:

> Vidi te, Ulixes, saxo sternentem Hectora,
> vidi tegentem clipeo classem Doricam;
> ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam.

Haec Telamonius in Nostrum, cuius ex responso neque Aeschylea nec Pacuviana ad nos pervenerunt; amplam tamen orationem apud Aeschylum deinde Ulixem habuisse iure nimirum colligitur ex Accii verbis fr. VI:

> Huius me dividia cogit plus quam est par loqui. —

Similiter paululum certe Aeschyli Thressae, e Graecis fragmentis non instaurandae, reliquiis Accianae tragoediae supplentur. Unde Nostrum, ut apud Sophoclem, Teucrum inter et Atridas interpretem exstitisse cognoscimus, quo Laertiadae verba fr. XIV. et XV. spectare Ribbeckius exponit[3]). Ergo non solum hic animos

---

Ceterum locos tragicorum infra in epithetorum conspectu composui; cf. praeterea Istr. fr. 52. in Mueller. fr. hist. Gr. I p. 426; Ov. A. A. 313; Met. XIII 31; Serv. ad Aen. VI 529; Hygin. fab. 201; Suid. s. Σισ. Eustath. p. 1701, 60; Tzetz. Lyc. 344.

[1]) Trag. Rom. p. 219. [2]) ib. p. 369. [3]) ib. p. 373 sq.

rixantium in praesens tempus compescit, sed maxime vetustam inter gentes simultatem in perpetuum solvere ac tollere animo conatur promptissimo.

Restat inter Aeschyleas fabulas Ulixis mytho obnoxias Palamedes, cuius duo illa, quae aetatem tulerunt, fragmenta ad iudicium pertinent ab Aeschylo primo in scaena institutum. Naupliades igitur in ius vocatus meritis suis atque inventis expositis adversarii crimina minuere et repellere studet, cuius orationis etiam nunc habemus fr. 176. Ulixes contra, quem accusatorem ac totius criminis auctorem ponere licet, fragmento 175:

τίνος κατέκτας ἕνεκα παῖδ' ἐμὸν βλάβης;

illi, quod filio ipsius caedem parare voluerit, non sine mentis acerbitate post multos annos opprobrio vertit. Talia nimirum ad privatam accusationis partem spectant et quasi extra causam dici videntur; quae quidem praeterea Ulixes de ipso scelere protulerit, plane incerta sunt, quamquam ex posteriorum scriptorum testimoniis etiam de Aeschyleo dramate colligi poterit falsum fuisse proditionis crimen et a Laertiada maligne confictum. Ceterum quod Welckerus in huius argumenti fabulis non minus poetas tragicos quam v. c. in Philoctetis inter se discrepuisse affirmat[1]), et per se illud largiendum et maxime ita accipiendum est, ut ipsius Ulixis descriptiones satis diversae fuerint. Nihilosecius vilis quaedam invidia morumque pravitas vel per universi mythi argumentum Aeschylo etiam quasi praescriptum erat: qui cum, ut denuo animis complectamur, diligenter epicorum auctorum vestigia legeret, non mirum est, quod ad sui ubique fontis normam tunc honestum Ulixem tunc insidiosum proposuit.

Quod si primi tragoediae principis in Ulixe describendo inconstantiam ob paucas fabularum reliquias per coniecturam certe statuimus, eaudem rationem de Sophocle veram esse vel propter duas illas, quae integrae supersunt tragoedias, Aiacem et Philoctetam, pro certo affirmari potest. Qui quoniam inter omnes post Homerum auctores cum amplissime in mytho Troico versatus est, tum saepissime ipsum Laertiadam in scaena proposuit — exstant enim praeter excitatas fabulas quindecim ultro dramatum tituli,

---

[1]) Trag. Gr. I p. 139.

qui imprimis huc pertineant — scilicet ea quoque argumenta scaenae aptavit, in quibus ingenua Ulixis figura quasi praviore morum specie infuscetur; itaque facere vix poterat, quin diversam, qua ille utitur, personam diversis animi virtutibus illustraret.

Accuratius autem Sophocles Homeri auctoritatem amplexus esse in Nausicaa et in Phaeacibus videtur, ad quas fabulas cum imprimis nimirum illa in Vita Sophoclis verba spectent[1]), inde et simplicissima dramatum argumenta et Odysseae rhapsodiis ζ sq. simillima fuisse luculenter apparet. Itaque mittamus fabularum instaurationes a Brunckio et Welckero inceptas, unde ad rem nobis propositam nihil amplius lucramur quam Ulixem eadem atque in Odyssea animi praesentia et facundia non modo regiae virginis mentem, sed deinde etiam animos Phaeacum ita sibi reddere propitios, ut et in maris litore et in aula principis omni tandem victus et reditus praesidio exstruatur.

In Aiace porro iam supra probissimos Ulixis mores commemoravimus (p. 47), qua in fabula postquam a Danais optatum praemium consecutus est, aemulo furenti misericordiam, defuncto dolorem largitur. Ipsum vero drama si perlegimus, amplissimam quandam probrorum miramur copiam, qua Ulixes absens praesens et ab ipso Aiace et a choro et a Tecmessa afficitur. At enim convicia illa praeterquam quod a nullo nisi acerrimis illius adversariis proferuntur, quo in numero choreutae quoque, Aiacis socii ac populares, habendi sunt, non minoribus mox eiusdem chori laudibus quasi aequantur, in quas quoniam tota fabula exit, quam maximam eis vim et auctoritatem iure tribuemus. Execratur autem Telamonius Ulixem aliquotiens ut universae calamitatis suae auctorem, neque solum furibundus, sed expergefactus etiam ex insania crudelissimis sese poenis eum persequi velle minitatur. Enimvero eadem usque quaque opprobria in Atridas mittuntur[2]); quibuscum quamvis ille quasi in consortium vocetur, apud ipsum Sophoclem longe minor illius culpa est, quam quantam vidimus apud Pindarum. Qui vel propterea acerrime in Ulixem

---

[1]) τούς τε μύθους κατ' ἴχνος τοῦ ποιητοῦ καὶ τὴν Ὀδυσσείαν δ' ἐν πολλοῖς δράμασιν ἀπογράφεται.

[2]) v. 97 sqq.; 302; 388 sqq.; 445; 572 sq.; 955 sqq.

invehitur, quia mentibus arbitrorum fallaci eloquentia persuaserit, ut adversa ferrent Aiaci suffragia (p. 40 sq.); a Sophocle contra Atridis fraus maximeque Menelao tribuitur[1]), qui quamquam a Teucro his verbis exagitatus v. 1135:

κλέπτης γὰρ αὐτοῦ ψηφοποιὸς ηὑρέθης,

propere illi respondet:

ἐν τοῖς δικασταῖς κοὐκ ἐμοὶ τόδ' ἐσφάλη,

ipse tamen, vocabulo ἐσφάλη usus, fraudulentis praestigiis Aiacem armis privatum esse concedit. Neque ex ullo totius fabulae versu sua Ulixem iniuria suave fallacia praemiis potitum esse comperimus, sed illis duobus locis omne vitium ad Atrei utique filios revocatur. Quapropter ipse Ulixes delicti scelerisve adeo non sibi conscius est, ut ex Minerva demum quaerat, qua de causa tam vehementer manus in armenta verterit[2]); ac similiter postea non tam meritam illius poenam aut vindictam metuit quam omnino iracundiam ac furorem. Nostri igitur verba v. 1347:

— ἐμίσουν δ' ἡνίκ' ἦν μισεῖν καλόν

nimirum ad magnum adversarii omnibus Achivis infestissimi timorem, non ad verum aut apertum vetusti commilitonis odium spectare mihi videntur; atque etiamsi nescio an Ulixes de armis certaturus eodem irae ardore, quo Homerici heroes nullum adversarium non oderunt, ipse quoque Aiacem persecutus sit, haud invitus tamen hic certe Minervae virtutes illius admiranti ac praedicanti astipulatur et simul aspecto viro ex tanta auctoritate et amplitudine deiecto quam maxima misericordia commovetur[3]). Quae humanitas minime opinor discordat cum admirabili illa ingenii excelsitate, qua Ulixes in extrema tragoedia splendide excellit. Saepius inter viros doctos disputatum est, num haec etiam pars Sophocli iure tribuatur; neque enim infitiandum est huius finis indolem spiritu ceterae fabulae esse inferiorem. Quare prae ceteris Bergkius — ut omittamus, quae nuper Leeuwenus nimis argute confinxit[4]) — totam inde ab Aiacis morte exodum quasi postea demum a Sophoclis

[1]) v. 445 sqq.; cf. Welcker. opusc. II p. 325. [2]) v. 40 sq. [3]) v. 119 sqq. [4]) Comm. de authentia et integritate Aiacis Sophoclei, 1881; cf. Wecklin. in Circumspect. philol. I p. 1083; Burs. Ann. 1882. I p. 137 sq.

filio incommode suppletam depressit[1]). Sane nos quoque huius partis formam et habitum alterius splendori posthabemus, argumentum sententiamve non item. Nam quod vir eruditissimus, Minervam non Ulixem excusationis egere ratus, in priore tragoediae clausula tempore videlicet absumpta illam de nubibus prodiisse dicit, istud duplicem in modum cum recta ratione acriter pugnat. Enimvero Euripides non dubium est, quin ipsam deam sicut in Iphigenia Taurica Supplicibus Ione spectatoribus ex machina oblaturus fuerit. At Sophocles, sublimioris illo et elegantioris artis auctor, homini potius hanc personam tradidit cum ob maledicta, quibus antea tanquam obruitur, purgatione dignissimo tum aptissimo, qui divinam vocem ac voluntatem ceteris in scaena mortalibus promulgaret. Nusquam enim Ulixis sortem aut fortunam generosa Jovis filia adeo tueri aut amplificare videtur quam in hac fabula, ubi peculiaris illa quasi Laertiadae patrona procedens Aiacis furentis ira eum et vindicta circumventum necnon impetu tentatum, hoc ad insaniam redacto, ab insidiis defendit ac miram quandam laudem in illum congerit. Neque ignorat Telamonius ipse deae numine in tantam calamitatem sese praecipitari et Tecmessa rerum conditione rectissime perspecta sic lamentatur v. 952 sq.:

τοιόνδε μέντοι Ζηνὸς ἡ δεινὴ θεὸς
Πάλλας φυτεύει πῆμ' Ὀδυσσέως χάριν.

Qui quantopere dea confidat, ex verbis eius apparet v. 14 sq.:

ὦ φθέγμ' Ἀθάνας, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν et q. s.;

quin etiam ipsa, quia periculum fuerit, ne in Danaos, maxime Ulixem stomachus Aiacis effunderetur, sese furore eum afflixisse ac furentem in pecudes vertisse profitetur[2]). Ac postquam deAiace pergravem poenam sumpsit, solus nimirum Ulixes dignus et idoneus videtur, qui placatam atque expletam illius iram esse pronuntiet: una autem hic animi nostri non modo ad pristinum Minervae, ultricis antea crudelissimae, amorem reducuntur, sed quasi coguntur etiam ipsius Laertiadae liberalitatem et ingenuitatem admirari. Nam quis est, quin verbis viri delectetur de adversario pulcherrime dictis v. 1336 sqq.:

---

[1]) Hist. Litt. Gr. III p. 378 sqq. [2]) v. 51 sqq.

κἀμοὶ γὰρ ἦν ποθ' οὗτος ἔχθιστος στρατοῦ,
ἐξ οὗ 'κράτησα τῶν 'Αχιλλείων ὅπλων.
ἀλλ' αὐτὸν ἔμπας ὄντ' ἐγὼ τοιόνδ' ἐμοὶ
οὐκ ἀντατιμάσαιμ' ἄν, ὥστε μὴ λέγειν,
ἕν' ἄνδρ' ἰδεῖν ἄριστον 'Αργείων, ὅσοι
Τροίαν ἀφικόμεσθα πλὴν 'Αχιλλέως —?

Quibus auditis facillime perspicimus et choreutas Ulixem, quem antea perquam oderant, summopere praedicare et Teucrum, vehementissimi inimici fratrem, fusas in illum et magnas effundere laudationes[1]).

Quales Sophoclei Ulixis ad bellum Troianum rationes sint, ex tribus illis, quas iam perlustravimus, fabulis nondum cognoscitur: hac tamen ipsa Nostri actione plurimorum, quae huc spectant, dramatum argumenta omnino continentur. Quamquam ipse etiam Sophocles peculiari tragoedia, cui nomen Ulixes Furens est, insaniam descripsit, qua ne arma sumere cogatur Laertiades iam in Cypriis evitare studet (p. 7 sq). Ubi quae narrationis momenta exploravimus, ea haud dubie omnia tragicus poeta retinuit, retenta aliis rebus amplificavit. Inde enim, quod arans dissimilibus iumentis Ulixes in scaena spectatorum oculis aegre produci poterat, sed quomodo vera illius mens nudaretur a nuntio expositum est, recte Welckerus hoc effecisse mihi videtur, ut initio ille sese abdiderit, praesertim quam rationem Quintus Smyrnaeus[2]) et schol. Od. ω 116. expressis verbis commemorent. Multo plus valet alia historia illic utique in transitu excitata, cuius primus hodie testis est Stesichorus fr. 28 Bgk[4]. Tyndareus enim Helenae pater principes Graeciae filiam uxorem petentes iure veritus, ne ceteri eum, cui illa primas dederit, inimicitiis persequantur, sacramento obstringit, ut faustum postea aemulum ab omnibus iniuriis defendant. Qua in fabula quamquam et Himeraeus poeta et Thucydides[3]) Euripides[4]) Pausanias[5]) Ulixem plane neglegunt, apud alios scriptores non pater procos ad iusiurandum admovet, sed Ulixes ipse, unus ex illis, pactionis auctor existit. Sic plenissime

---

[1]) 1381 sqq. [2]) V 193 sq. [3]) I 9. [4]) Iph. Aul. 51 sqq. [5]) III 20, 9.

Apollodorus[1]), qui tamen narrationem antiquioribus nimirum scriptoribus debuit. Nam siquidem Ribbeckius illa de Ulixe verba:

„Cuius ipse princeps iuris iurandi fuit“ et q. s. (cf. p. 48.) ad Accii Armorum iudicium, fabulam ad Aeschyli exemplar compositam, vere rettulit[2]), iam Aeschylus Ulixem eum induxit, qui ceteros sacramentum dicere iussisset. Sophocles autem ipse pactionem memorat Ai. 1111 sqq. et fr. 145. Nck. necnon illum facit participem Philoct. 72. sqq., ubi Laertiades iuveni Pelidae:

σὺ μὲν πέπλευκας οὔτ᾽ ἔνορκος οὐδενὶ
οὔτ᾽ ἐξ ἀνάγκης οὔτε τοῦ πρώτου στόλου.
ἐμοὶ δὲ τούτων οὐδέν ἐστ᾽ ἀρνήσιμον[3]).

Et quamvis longo temporis spatio haec facta inter se distent[4]), illud promissum ab hoc dramate adeo non abhorret, ut non dubium sit, quin legati Ulixem pacti illius commonefecerint. Quibus rationibus quamquam culpa et opprobrium, quae ex evitata militia in Ulixem manant, quodammodo augentur, Sophoclem duabus causis consilium illud versutiae plenum excusasse ac periurio quasi colorem dedisse verisimile est. Namque primum Ulixes, novo tunc coniugio felix et insuper paulo ante filiolo auctus, artissimis amoris vinculis in patria retinetur, quam eadem ac suos pietate et studio amplecti in Odyssea certe supra praedicavimus (p. 5.). Alterum momentum ab Hygino aliisque hinc demum procul dubio deductum in verissima nititur suspicione, qua longinquam Ulixes ac laboriosam fore expeditionem praesagiat. Positis autem ac probatis his causis Laertiadae mores in hac fabula simili atque qua apud Homerum splendent praestantia non carere mihi videntur neque hoc drama in eo numero habeas velim, quibus de excelso ille virtutis gradu deiciatur. Hoc pro certo affirmare ausim, quamquam Ulixis in Naupliadam odium inde ab illo tempore minime repressum leniter certe Sophocles indicare poterat velut iam in Aesch. Palam. fr. 175. Ulixem aemulo inviso, quod tunc morte filio intentata ipsum ad arma suscipienda coegerit, post aliquot annos exprobrasse vidimus (p. 49.). Sane quidem statuta inter

---

1) III 10, 8. 2) Trag. Rom. p. 370. 3) cf. Hygin. fab. 81.
4) Parum hoc temporis intervallum Prellerus respexit (Mythol.Gr. II[2] p. 416 not.), rebus in idem tempus confusis, quasi Atridis et Palamedi Ithacam venientibus initio fidem dederit, mox retractaverit.

Sophoclis Palamedem et Ulixem Furentem necessitudine in utraque tragoedia Laertiadae mores deteriorem haberent speciem. At quoniam tali ratione, tetralogica dico, num vere fabulae fuerint coniunctae, nullo testimonio firmatur, in ea iure acquiscam sententia, ut callidus hic mihi Ulixes, non improbus esse videatur.

Expeditioni belloque, quae Laertiades duplici dolo usus illic defugit, ne in Sophoclis quidem fabulis tanta quisquam constantia suffragatur quanta ipse Ulixes. Quem quidem in tam ampla dramatum illorum copia non eundem semper inveniemus: namque cum officia et munera, quae vel Atridarum iussu vel summa ipse voluntate sua perpetrat, haec fortem et sincerum, haec versutum fallacem crudelem etiam quasi postulent, vix admodum miraberis, si inter hos quoque fines diversum ille se ostenderit.

Ac primum quidem eloquentissimum utique nec vero dolosum fraudulentumve Sophocles in Helenae Repetitione Ulixem proposuit; quo in argumento cum et apud Homerum et in Cypriis (p. 11 sq.) hic ipse et Menelaus oratores existant, nihil est, quin eandem rationem in Sophoclis fabula statuamus quippe accuratius ad narrationem illam adnixa. Itaque hic etiam legati mendicorum instar abire iussi ab Antenore, probissimo sene, excipiuntur, tunc contione facta a viris natu minoribus, imprimis a Paride ceterisque Priamidis, acerrime impugnantur ac minis circumveniuntur gravissimis, a quo tamen periculo solus illos Nestor Troianus[1]), fortasse etiam Priamus defendit. Mutuamur haec singula narrationis momenta ex Ov. Met. XIII 195 sqq., ubi Ulixes in armorum iudicio magnopere huius legationis merito gloriatur atque ipse haud dubitanter prae se fert, quanta usus eloquentia vique persuadendi praedas ab Alexandro universae Graeciae subductas repetierit.

Fortasse eosdem Ulixis mores recte in Antenoridis ponemus. Quam si fabulam vel potius cognominem Accianam verius Welckero[2]), qui in Graecorum castris scaenam collocat, Ribbeckius Troiae actam esse ibique nova colloquia et conditiones urbis incendio praecessisse coniectat[3]), argumentum Helenae Repetitioni simillimum lucramur, ubi Ulixes et Menelaus, iterum fortasse Danaorum legati, ut frustra omnes eloquentiae fontes aperiunt, ita ab Ante-

[1]) cf. Soph. fr. 891. Nck. [2]) Trag. I p. 167. [3]) l. c. p. 407.

nore eiusque filiis adiuvantur. Pro quo beneficio Graeci in reliquo tragoediae cursu benevolae familiae gratias referunt. Imprimis enim huc pellis pantherina spectat illorum iussu ab Antenore domus foribus suspensa, qua visa et ab aedificio et ab incolis manus sese retenturos vel in ultimo illo cum Troianis colloquio vel in Lacaenis, altera fortasse eiusdem tetralogiae fabula, pacti sunt. Afferunt autem hic quoque ii salutem, qui suam olim vitam sapienti seni debuerunt, Ulixes et Menelaus: illum certe iam in Parva Iliade de conservando Helicaone sollicitum vidimus (p. 21 sq.), quam scaenam Sophocles inde nimirum deprompsit.

Paulum a simplici illa et sincera indole Ulixes dolis ac fallaciis usus in Scyriabus[1]) recessisse mihi videtur, ubi quemadmodum ipse olim falsa quasi persona exutus atque ut militiae socius fieret, alterius calliditate impulsus est, sic Achillis mentem ad suas ceterorumque Danaorum partes perducit. Primus sane huius novae fabulae (cf. p. 11 sq.) auctor, Polygnotus, num in nobilissima illa tabula etiam Ulixem depinxerit, Pausanias pro totius loci[2]) brevitate luculenter dicere omittit; alii tamen ac permulti narratiunculae testes illum ipsum prae ceteris premunt, velut Ulixes cum Nestore et Phoenice a schol. Il. T 326., cum Nestore et Palamede a Tzetz. Anteh. 177., cum Diomede a Philostr. iun. Imag. 111. et Stat. Achill. lib. II., solus denique apud Apollod. III 13, 8. Quint. Smyrn. V 256 sq. Eustath. p. 782, 48. et p. 1187, 16. Lycophr. 276. c. Tzetz. not. mandatum illud suscepisse narratur; Sophoclem vero Diomedem Nostro comitem addidisse bene Welckerus ex fr. 510, 6 sq. efficit[3]), propter quem cum Philostr. iun. l. c. et Statio consensum gravissimum nescio an recte hos scriptores

---

[1]) De nomine fabulae non amplius animo pendere decet: postquam Euripideae tragoediae titulus Σκύριοι, quem bis etiam Stobaeus exhibet, Marmore nuper Piraeico quod dicitur confirmatus est, una inde verum Sophocleae fabulae nomen profluxit, quod Σκύριαι fuisse persuasum habeo. Falso enim Wilamowitzius (Anal. Eur. p. 157; cf. ib. p. 138 sq.) propterea, quod sane testes plerique hanc tragoediam sub Scyriorum nomine ferunt, fabulas fuisse cognomines affirmavit; quod siquis acceperit, qua ratione mihi hunc scrupulum eripiet, unde haud rara orta sit nominum diversorum confusio? [2]) I 22, 6. [3]) Trag. Gr. I p. 106.

Sophocle imprimis auctore usos coniciam. Quodsi verum est, alia quoque, quae illic inveniuntur, momenta ad hanc fabulam revocare licebit, velut Ulixem in prato floribus vestito[1]) quasillos et quicquid puellis in ludos iucundum est, iuxta autem armamenta posuisse[2]) ac simul tuba accinente[3]) ista Pelidam virili gaudio commotum arripuisse, res muliebribus reliquisse sodalibus. Quae argumenta scaenae aptissima ne Sophocles quidem neglexerit vel potius ceteri scriptores, quibus mythi notitiam debemus, ab Attico demum tragoediae principe didicerunt. Iam detecto iuveni nimirum Ulixes[4]) sic vociferatur:

σὺ δ᾽ ὦ τὸ λαμπρὸν φῶς ἀποσβεννὺς γένους,
ξαίνεις, ἀρίστου πατρὸς Ἑλλήνων γεγώς;

ex quibus verbis iam a Brunckio huc vocatis[5]) Ulixeam suasoris et hortatoris personam cognoscimus.

In Sophoclis, de qua proxime agemus, Philocteta v. 343 sqq. Neoptolemus olim Scyro se ab Ulixe et Phoenice deductum narrat. Quae oratio quamquam ad decipiendum Philoctetam composita est, non dubito tamen, quin ad ipsius Sophoclis fabulam spectet, cui duplex nomen Phoenix sive Dolopes fuit; neque enim animo complector, cur utrumque hic Sophocles memoraturus fuerit, si in hac peculiari tragoedia solum illuc Phoenicem misisset. Quid, quod Laertiades, qui iam in Od. λ 508 sq. et Proclo teste in Parva Iliade (p. 16 sq.) solus quidem legatus dicitur, plane hic vix omitti potuerit?[6]) Et quamquam Phoenici, quippe grandiori natu, priores haud dubie concedit, satis amplum tamen seni auxilium offert adestque re et opera consilium adiuturus. Cui sententiae non obstat, quod Philostratus iun. Imag. 2. Phoenicis solius mentionem facit: nam licet illa expositio tragicam indolem tragicumque exemplum prae se ferat, parum eo discernitur, num Sophoclis tragoediam

---

[1]) Soph. fr. 506. Nck. [2]) Philostr. iun. l. c. [3]) Stat. Achill. I, 6. [4]) Paulo aliter sentit Welcker. Trag. I p. 105. [5]) Fr. adesp. 7. Nck. [6]) Ribbeck. l. c. p. 404. (de Acci Neoptolemo): „Unentbehrlich für das Drama jedenfalls war der bewährte Diplomat der Griechen, der vielgewandte Laertiade.“ Ribbeckius apud Accium, cuius quidem fabulam Welckero invito (Trag. Gr. I p. 140 sqq.) ad Sophoclem non revocat, Ulixem et Diomedem legatos statuit, ad normam certe Quint. Smyrn. VI 64 sqq. VII 169 sqq.

ille scriptor in mente habuerit, quoniam Neoptolemi deductionem Nicomachus etiam et Mimnermus singulis fabulis tractaverunt[1]). Mores autem et ingenium Ulixis vel propter apertam scaenae cum Scyriabus similitudinem maxime cum illa in hac fabula Nostri specie comparaverim.

Neque minus ipsa Philoctetae fabula huc pertinet, in qua Ulixes simili atque in duobus dramatis modo tractatis fraudulentia gravissimi socii mentem communi rei conciliat. Optime vero ac felicissime Sophocles animum Laertiadae tranquillo ac tempora prudenter spectanti Neoptolemum, heroem nobilitate iuvenili ardore morum integritate praestantem, opposuit, quo homine inducto nonnulla illius et vitia et virtutes per se quasi videmus praescripta: quippe cum dubitanti ac timido adulescente virum fortem ac firmum, cum sincero ac simplici callidum ac dolosum, cum consiliorum inopi ac sibi repugnanti constantem consiliisque abundantem componere in rem erat. Tali autem socio idem Ulixes munus et officium demandat, quo apud alios tragoediae principes ipse perfungitur, Poeantio nempe viro persuadendi, ut cum ipsis Troiam velut in patriam profecturus insulam relinquat. Vel in hoc primo inter viros colloquio, unde fabula initium capit, Laertiadae mores satis manifesti fiunt. Quamvis enim et pristini de exponendo Philocteta consilii[2]) et novae rei gerendae[3]) auctorem se fuisse ficta modestia glorietur, prudenter tamen Atridarum auctoritatem[4]) necnon deorum religionem[5]) ostentat, usus insuper captiosis appellationibus[6]), quo facilius suam tunc violentiam excuset atque iuvenem ad inceptum praesens habilem reddat. Inter ipsa quidem consilia valde lubricas ac periculosas evolvit sententias: namque in heroica aetate manum pugnamque aspernatus linguam linguaeque vim praedicat[7]) et dubitantis adulescentuli animum his verbis hortatur v. 111:

ὅταν τι δρᾷς ἐς κέρδος, οὐκ ὀκνεῖν πρέπει.

Quomodo Neoptolemus socii deinde mandatum perficiat vel par-

---

[1]) cf. Ribbeck, Trag. Rom. p. 402. [2]) v. 4 sq. [3]) Hanc rem ipse σόφισμα dicit v. 14; cf. v. 77. [4]) v. 6. Similiter Philocteta Ulixi et simul Atridis miseriae suae culpam imponit v. 264 sq.; 314 sq. [5]) v. 8 sq.; cf. v. 1032. [6]) v. 3 sq.; 50; 57; 69; 96. [7]) v. 97 sq.

tim temperare, quin etiam suo Marte evertere conetur, haec ad illius indolem delineandam, parum ad Ulixis pertinent. Cuius tamen efficacem post scaenae quasi parietes actionem denuo sentimus, cum comes ille mercatoris habitu indutus progreditur illorum mendacia fraudibus aliis adauctum, quibus tamen ad irritum redactis vir ipse Philoctetae obviam fieri non amplius dubitat. Vi enim ac manu, cuius usum antea respuebat ac facundiae posthabebat. tunc impetraturus est, id quod per fallacias ab ipso subministratas neutri socio successit. Ne hic quidem obiurgationes rarae in Ulixem profluunt, ac sicut Aiax Sophocleus ita Philocteta quoque innumera maledicta in illum effundit; velut cum Neoptolemus ad Philoctetam decipiendum a Graecis se iniuriis affectum de expeditione universa decessisse confingat, ea adiectiva, quibus ille Thersitam describit[1]), quasi de Ulixe dicta maligne intellegit. Sane quidem concedendum est, desiderari totius habitus nitorem ac vigorem, desiderari eximiam animi rationem ac sublimitatem, desiderari denique invictam prosperi eventus spem et confidentiam, quibus virtutibus maxime apud Homerum Laertiades in summo etiam vitae rerumque discrimine ceteris praestet atque omnium mentes usque ferme accendat delectet sustineat. In Aiace is est Ulixes, quo tandem in pulpitum progresso acerrima controversia solvatur; tanta vero potentia Sophocles illum in hoc dramate ita non dignum existimabat, ut nodum numini solvendum tribueret. Attamen nonnullis tragoediae momentis efficitur, ut hic generosior videatur, quam qualem se in altera fabula ostendat. In armorum enim iudicio hoc unum agit, ut sibi praemium concedatur, negetur commilitoni; ut paucis dicam, omnino suam illic utilitatem vehementer prospicit; Philoctetam vero non sui emolumenti gratia — quid enim ipse ab aegroto homine exspectet? — sed ad augendam totius exercitus salutem arcessit. Quo fit, ut illic quoniam ipse armis potitus in aliquam ceterorum invidiam atque odium incidit, adversarios novos, imprimis Teucrum, omnibus viribus placare studeat: hic contra, ubi communem causam defendit et unus quasi omnium patronus progreditur, minus utique reverenter, quin audacius gerere sese non tergiversatur. Ad mitigandum Teucri

---

[1]) v. 439 sqq.

animum dolis aut fallaciis supersedet, verum sincerissimo quoque voltu ac verbo probum virum facillime capit; Philocteta advenae statim cognito quam maxime repugnante ad fraudem ille ac vim descendere coactus est. In toto quidem incepto sophisticam quandam versutiam adhibet, qua boni etiam virtutibus caligo tanquam obducatur.

Coniungit Ulixes Sophocleus cum hac mendaciorum libidine crudelitatem in Iphigenia et Polyxena. Utrumque drama nomen a regia virgine duxit immolata pro salvo sive abitus sive reditus Graecorum eventu, quem ut assequantur Danai, nemo acrius Ulixe vires intendit. Namque in priore fabula ipsum intrare scaenam atque gravi persona uti diserte a testibus docemur fragmenti 284. Nck.[1]):

σὺ δ᾽ ὦ μεγίστων τυγχάνουσα πενθερῶν,

quibus verbis Clytaemnestrae in castra advenienti de Achille velut genero futuro gratulatur. Quo versu animi nostri in media collocantur tragoedia, sed ne ea quidem, quae praecedunt, de Ulixe sine momento putemus. Nam quod apud Euripidem[2]) Agamemno Clytaemnestrae, ut filiam quasi cum Pelida matrimonio iungendam in Aulidensem portum mitteret, litteris se persuasisse memorat, non tam de nobili legato aut principe cogitandum erit quam de ministro, quali fabulae initio utitur: posteriores tamen scriptores Ulixem sive cum Diomede[3]) sive solum[4]) reginae nuntium illum attulisse satis luculenter exponunt. Inter quos auctores Dictyn hinc propterea removeam, quod eo teste Clytaemnestra domi remanet, quam quidem apud Sophoclem et Euripidem simul cum filia in Graecorum castris praesentem reperimus. Quo magis Hyginum l. c. ad Sophoclem redire suspicor, quod si acceperis, non modo ab Ulixe et Diomede Iphigeniam matre comitante Mycenis deductam fecisse tragicum efficietur, sed hanc etiam rem graviorem lucrabimur. Hyginus enim: „Cum . . Calchas scelus respondisset aliter expiari non posse, nisi Iphigeniam filiam Agamemnonis immolasset, re audita Agamemnon recusare coepit.

[1]) Phot. Lex. p. 410, 13: Ὀδυσσεύς φησι πρὸς Κλυτ. περὶ Ἀχιλλέως. [2]) I. A. 98 sqq. [3]) Hygin. fab. 98. [4]) Dict. Cret. I 20.; Tzetz. Ant. 194.

Tunc Ulixes cum consiliis ad rem pulchram transtulit.“ Ubi alium atque Euripidem sequi Hyginum inde colligimus, quod apud hunc praeter Ulixem et Calchantem imprimis Menelaus consilii si minus auctor, at suasor certe gravissimus dicitur[1]), cuius contra Hyginus mentionem nullam facit. Ulixes igitur prae ceteris Agamemnonem perducit, ut virgo regia Aulidem arcessatur; Ulixes ipse cum fidissimo socio advocandae illius mandatum suscipit; Ulixis calliditati et eloquentiae contingit, ut in portum Aulidensem proficisci mulieres tandem decernant; nunc in eo est, ut victima Dianae vota ad immolationem abripiatur. Scite autem Ribbeckius, quali Achilles apud Sophoclem persona utatur, adhibitis quibusdam monumentis illustrat; qui quod omnibus viribus miseram virginem exitio eripere ac defendere conetur, inde eo ardentius Ulixem Pelidae obluctari atque ut expeditionis impedimenta removeantur, graviter studere vir illustrissimus demonstrat[2]). Ac sicut in tabulis illis Iphigeniam ab Ulixe super ara sublevatam cernimus, sic non apud Ennium solum, sed etiam in Sophoclis fabula suas illum manus perficiendo consilio admovisse quis non largietur? Ergo adest nimirum Laertiades in re gerenda, quam non sine fraudulentia[3]) aut protervitate ad finem vehit.

In altera tragoedia perperam, ni fallor, Welckerus Ulixi personam fuisse negat, quasi tunc iam Tenedum profectum ac praeter Neoptolemum omnino supervacaneum. Hunc sane perpetrasse sacrificium aliis confirmatur locis; sed ibidem Ulixes etiam reperitur, qui tunc adeo nondum discessit, ut ipse nimirum primus mactandae virginis auctor fuerit. Namque cum Euripides in Hecuba ob solam hanc causam Ulixi partes tribuat, ne apud Sophoclem quidem plane omissum esse Nostrum verisimile est; porro siquidem Welckerus partibus Ulixi non concessis de illa, quae in Odyssea et in Nostis narratur, principum discordia cogitat, lapsam esse acutissimi viri mentem inde colligitur, quod Polyxenae mactatio huic rixae de sacris Minervae faciundis conflatae[4]) paulo certe praegreditur; iurgium vero istud hic narratum vel potius in scaena

---

[1]) I. A. 107. [2]) Trag. Rom. p. 99 sqq. [3]) cf. fr. 284. p. 60
[4]) cf. Od. γ 144 sq.; Procl. ap. Phot. l. c.

etiam propositum fuisse iam supra probavimus accepta Welckeri ipsius sententia, qui Polyxenae fabulam eandem atque quae Ἀπόπλους ab Aristotele dicitur[1]) habendam esse demonstrat (p. 22.)[2]). Itaque primum suadente vel favente Ulixe Priami filia in Achillis tumulo mactatur, iam vero cum Agamemno ob Minervae iram amplius operari hostiis ac longius etiam commorari iubeat, discidio inter Atridas facto cum Menelao ille et Nestore ancoras molitur. Utcunque autem dramatis ratio instituta erat, per totam illius indolem Ulixes hinc non afuit, verum, ut erat durissimus hostium vexator et interpres suorum salutis fidissimus, in utramque partem vim et auctoritatem suam adhibuit.

Tres deinde Sophoclis tragoediae eo continentur momento, quod Ulixes hostiliter in commilitones quosdam invehitur, in alia sane fabula alia causa impulsus. Ut ordiamur ab Aiace Locrensi, iam in Arctini poemate Ulixem scelesti viri accusatorem posuimus (p. 23 sq.), ubi tamen ad Minervae ille aram confugiens absolvitur. Inde vero, quod in Sophoclis dramate reus omni suspicione ac poena periurio facto se liberat, aegre quisquam litis auctricem arbitramve ipsam fuisse Minervam colliget neque Ulixem a divina patrona incitatum, sed sua sponte commilitonem persequi censemus. Nihilominus cum ad vindicandum utique patronae honorem hanc litem instituat, tota causa Ulixi non tanto est odio, in quantum ob incusatum Naupliadam incidit; tunc enim insonti viro ac de expeditionis successu bene merito diem dicit; hic deae, quam prae ceteris Olympiis veneratur, fanum ac signum a scelerati hominis superbia defendit; quare universa litium similitudo in eo cernitur, quod idem utrumque socium capitis iudicio arcessit ac lapidibus fortasse obrui postulat. Cuius rogationis certum opinor vestigium inest in fr. 18:

εἰ δείν᾽ ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σέβει,

quae verba cum accusantem omnino deceant, ego quidem ad Ulixis orationem rettulerim. Quod Welckerus contra fr. 13:

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ —

huc spectare ac Laertiadae lepore dignum affirmat, plane alia mihi mens est, quoniam istud ironicum Aiacis in Atridas et in Uli-

---

[1]) Poet. c.23. [2]) Trag. Gr. I p. 178; cf. Ribbeck. Trag. Rom. p. 418.

xem puto ludibrium, quasi reges sapientis illius hominis usu ipsi quoque tanta sapientia imbuti sint, ut ipsum ob tantulum delictum capitis poena afficere velint. Tale quid ad Oilidae ferociam ac confidentiam omnino quadrat; nam dubito, an non deprecatione supplicium a se removerit, sed amico cuidam[1]) salutem debeat, suadenti nempe, ut reus iureiurando culpa se vacuum esse affirmet.

Cetera quippe incerta de Ulixe nihil nobis conicere admittunt; quem tamen maligni invidive censoris aut castigatoris personam hic tenuisse praesertim bello iam perfecto nihil est cur probemus.

Quam paulo magis suspicionem Ulixes in Lacaenis commovet. Vel hic sane laus illius ac merita initio satis clare elucent, quoniam cum Diomede Troiam per cloacas illapsus[2]) non solum Helenae timidae ac dubitanti feminae, ne amplius iustiori Graecorum causae obnitatur, felici facundia persuadet[3]), sed Antenorem etiam et Theano, qui de patria iam pridem desperantes hostium partes amplexi sunt, ad prodendum Palladium prudentissime inducit. Sed siquidem Welckerus, reprobatis Brunckii G. Dindorfii Jacobsii A. Schoellii sententiis, rectissime versus ab Herodiano laudatos[4]) huic fabulae reddidit, peculiarem quandam Diomedei discriminis, quod vocatur (p. 18. sq.), formam assequimur, quam Welckerus vasculi imagine adhibita probabiliter confirmat. Statuta autem hac lite, quam sicut in picturis illis ita hic quoque Helena nimirum discernit, inde macula quaedam in Ulixem propterea manat, quod, nisi alter alteri praedam invideret ac praemii eripiendi causa insidias pararet, quantum perspicimus nihil esset, de quo viri apud feminam ius quasi experirentur. Et Laertiadam, non Tydidam hic rapina potiturum esse ex simili apud Leschem conditione supra nobis probata (p. 19. sq.) effecerim, tantum quod Sophocles illam loci scilicet ac scaenae unius gratia in ipsa etiam urbe collocavit. Ulixes igitur quamquam paulo ante de assequendo Palladio prudentia fortitudine facundia optime meruit, tunc tamen sui studiosissimus pravam quandam animi speciem ostendit.

Ampliore etiam istud probabilitate de Palamedis fabula dici poterit, cuius argumento ingenua aut generosa Ulixis figura

[1]) Fortasse Acamanti, cf. Welcker. Trag. Gr. I p. 165. coll. Paus. X 26, 2. [2]) fr. 337 Nck. [3]) fr. 338. [4]) de figur. p. 601. sq. Soph. fr. inc. 726 Nck.

nisi per violentiam nullo pacto inculcari poterit. Sane quas in accusando viri causas ille proferat, omnino nescimus; quamquam quod Welckerus Laertiadam hic eodem crimine usum conicit, quod Vergilius innuat, Palamedem dico „quia bella vetaret"[1]) in proditoris suspicionem incidisse, satis bene hoc in rerum conexum quadrare censeo; etenim cum Ulixes Sophocleus inde a prima expeditione belli gerendi consilium suadeat et augeat, tunc accusanti eum, quem a militia exercitum dehortari simulat, facillime fides habetur. Utique hic etiam falsa esse criminatio videtur ac tam astute composita, cui Naupliadae innocentia brevi succumbat. Cuius sceleris hic quoque Diomedem esse participem verisimile puto, quo tamen accepto culpa Ulixis vix minuitur. Namque praeterquam quod ille socium fraudulenter ad suas partes perducit, alii in regum concilio existunt, qui vehementer incusationem improbent ac sumpto etiam supplicio bilem ostendant. Nam Welckerus restituto huic fabulae fragmento inc. 770. Nck. una Nestori et Aiaci suas hic personas reddidit[2]). Telamonius enim apud Philostratum[3]) quoque et Tzetzem[4]) tantopere Palamedi favet, ut vel invito Agamemnone, qui sub mortis poena illum efferri vetuit, debitos tamen honores defuncto commilitoni tribuat. Quam si scaenam Aiacis Sophocleae fini simillimam ad hanc fabulam transferimus, fieri poterat, ut Nestor illum amici supplicio exacerbatum summique regis edicto adversantem talibus fragmenti illius verbis mitigaret. Itaque cum socii quidam, ceteris minus decepti, Palamedem defendere videantur, nihil exstat profecto, quo ista Laertiadae invidia et facinus cruentum excusetur; sed quamquam nullo vitio illustrem Ulixis famam turpius inquinari concedendum est, inde tamen vel maxime elucet, quantum prava etiam Ulixis consilia in Danaorum castris valeant quamque mira maxime in Sophoclis fabulis vi et auctoritate dux ipse Ithacensis excellat.

Duae denique tragoediae ad extremam illius vitam spectant, quae si non plane eadem ingenii descriptione atque Palamedis fabula significantur, illud certe a pristina hic praestantia diversum reperimus. Atque in Euryalo quidem novom argumentum neque ullo veterum, quae peragravimus, poematum loco confirmatum

---

[1]) Aen. II 84; cf. Trag. Gr. I p. 131. [2]) ib. p. 134. [3]) Heroic. X 7. [4]) Anteh. 390.

proponitur. Post Parthenium tamen, qui historiolam Sophocle auctore usus enarrat[1]), denuo explicare nihil iuvat, quapropter illud monuisse sat habeo et Ulixis et Penelopae laudem famamque hac fabula perquam attenuari et mores illorum hominum, quos apud Homerum ob sinceritatem et castimoniam ut egregiae virtutis exemplaria penitus miramur, laeso hospitio adulterio aemulatione parricidio magnopere deformari. Satis enim istud ex his Parthenii de Ulixe verbis discimus: — Ὀδυσσεὺς μὲν διὰ τὸ μὴ ἐγκρατὴς φῦναι μηδὲ ἄλλως ἐπιεικὴς αὐτόχειρ τοῦ παιδὸς ἐγένετο. Tali composita narratione num Sophocles ipse Telegoniae fines amplificaverit, ignoramus; in hoc tamen assentior Welckero, quod a scaenico demum poeta mirae implicationis studioso inventam esse illam existimat[2]).

De ultimo Ulixis fato Aeschylum in Psychagogis plane inauditam mythi formam statuisse vidimus (p. 44.); ceteri poetae, inter quos Sophocles, Telegoniae argumentum amplexi Ulixem a filio invito necatum esse confingunt. Bene praeclara Sophoclis fabula, cui nomen est Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ sive Νίπτρα, Pacuvii Niptris suppletur, quo fit, ut universas res ibi gestas facile perspiciamus. Attamen quibus ipsum Sophocles Laertiadam moribus instruxerit, aegre cognosces, praesertim cum vel de Eugammonis carmine, huius tragoediae fonte, idem omnino lateat. Velut inde, quod ob Telemachi metum noctu falsaque persona velatus Ithacam revertitur, ignaviorem illum hic prodiisse cave efficias; quamquam inter primum illum reditum, ubi contra centum procos ei pugnandum est, et hunc ex Thesprotiis adventum unius filii sui, ut opinatur, insidiis tentatum pergrande quoddam discrimen esse concedo. Sed desunt etiam conspicua momenta, quibus Ulixis figura in meliorem partem illustretur — ex adstricta enim Odysseae aut Thesprotidis errorum narratione[3]) magnam in illum laudem profluxisse quis crediderit? — et cum Cicero quod effuse apud Sophoclem „sapientissimus Graeciae saucius lamentetur“ vituperet verbisque expressis honestiorem Pacuvii ut Romani hac in re praedicet rationem, iudicium istud, quamvis Sophoclei Philoctetae et in Trachiniis Her-

---

[1]) Erot. 3. [2]) Tril. p. 462. adn. [3]) fr. 417. 418. 413. 414; cf. Ribbeck. l. c. p. 272 sq.

culis bene memores simus, magis tamen de ignobili ac vili homine quam de excelsae virtutis heroe accipiemus. Neque nimium mireris, quod in tractanda fabula, cuius et tempus et pretium Homericis carminibus multo inferius est, Homericam illam Ulixis gloriam Sophocles resuscitare aut noluit aut non potuit: fontium scilicet auctoritatem rarius poetae tragici abiecerunt, verum ingeniosissimus quisque mytho erat satis obnoxius.

Consulto adhuc Sophoclis ipsius fabulis contenti nullam Euripidis rationem habuimus, quem tamen ut in totam tunc aetatem ita in aequalem etiam Sophoclem summi momenti fuisse nemo ignorat. Quam maxime autem dolendum est, quod omnium, quas modo perlustravimus, fabularum tempus aut originem praeter unam Philoctetam plane nescimus; unde fit, ut parum illud quoque animis percipiamus, quae potissimum Sophoclis dramata singulari miraque Euripideae poeseos indole aliquomodo imbuta sint. Nihilominus vel illae inter Philoctetas rationes ad hoc monstrandum sufficiunt Euripidem illo priorem Ulixi affinxisse versutiam, quem in eodem argumento eademque rerum conditione Aeschylus etiamtunc si non omnino simplicem aut sincerum, at fallacias certe dolosque respuentem induxerat. Itaque cum Sophocles viginti duobus annis post Euripidem suam fabulam ediderit, illum, quantumvis feliciter nonnulla corrigeret atque etiam novaret, tamen et alia, v. c. deum ex machina qui dicitur, et iniquam Ulixis descriptionem ab Euripide quasi heredem recepisse in propatulo est. Quocum satis concordat, quod Sophocles in eis fabulis, ubi Ulixem Homerici viri simillimum ostendebat, Euripidea exempla non habuit; velut neque illum Laertiadae ad Phaeacas adventum aut hospitium neque armorum iudicium mortemve Telamonii, quibus in argumentis Sophocles illum maxime ingenuom proposuit, Euripidem ullo dramate tractasse scimus. Mutuis tamen poetarum rationibus praedicatis illud sane non dixerim in nullo argumento sua sponte aut sine illo auctore Sophoclem Ulixi deteriorem dedisse speciem: illius enim Iphigenia haud dubie ante Euripidis Iph. Aul. edita est. Sed quoniam illam quoque fabulam post nonnullas certe Euripidis tragoedias ponere licet, in dramatis eam quoque Euripidea certe Ulixis describendi ratione infuscatis iure habebimus.

In his, quae praecedunt, satis iam Euripidem eum indicavi,

qui privaverit Ulixem pristina animi magnitudine virtutumque ei ornatum non sine violentia detraxerit. Cuius rei unam causam in argumentorum natura niti apparet, quippe quae cuncta fere non tam ad illum Iliadis aut Odysseae complexum quam ad Ulixis legati suasoris interpretis actionem pertineant. Sed ipsa elegendae materiae ratione ars Euripidea satis notatur. Quae cum a puro Homeri ingenio longius abhorreat[1]), iis scilicet cyclicorum carminum narrationibus potitur, quarum summa usque ferme ad captiosam argutamque vergit eloquentiam. In deliciis enim Euripides, sophistarum et sycophantarum aequalis, oratores habet; quos quoniam iisdem facundiae loquacitatis subtilitatis, quae tunc passim luxuriabantur, viribus exornat, non mirum, quod in illius fabulis magis Attici cavillatores quam vetusti aevi heroes verba faciunt. Inter quos maxime ad exercendam illam in scaena quoque eloquentiam idoneus Ulixes videbatur, utqui iam in cyclo certe pro sua illic internuntii et veteratoris persona similem fere nonnunquam speciem praebeat atque qua utitur in Euripidis tragoediis. Quamquam hic ipse tragicus poeta singulari suo ingenio arbitrioque indulgens a fontium ratione aliquanto recessit. Etenim cum apud illos, quantum vidimus, auctores ampliore quadam auctoritate aut virili mentis excelsitate ne in maleficiis quidem perpetrandis careat, hic ad meri interdum ministri personam depressus non solum illas omnino exuit virtutes, sed vitiis etiam illius aetatis inficitur. Itaque quamvis Ulixem, quem Pindarus quasi ex animo respuit, gratum Euripidi fuisse iusto iure credideris, tamen suae ille poeseos indole obstrictus honestis moribus ornare in animum non duxit[2]).

Ceterum singulos sane Odysseae et Iliadis locos — ut interim Cyclopem mittamus — Euripides quoque in scaenam vocavit. Testatur enim Aristoteles[3]) indecenter Ulixem lamentari in **Scylla**, quod quoniam drama praeter Orestem Melanippam Iphigeniam Aulidensem laudatur, illud etiam Euripidi tribuendum esse eo

---

[1]) cf. Ar. Thesm. 547 sq.:

— Πηνελόπην δὲ
οὐπώποτ' ἐποίησ', ὅτι γυνὴ σώφρων ἔδοξεν εἶναι.

[2]) cf. Bergk. Hist. Litt. Gr. III p. 586 sqq. [3]) Poet. c. 15.

maiorem habet probabilitatem[1]), quo magis querimoniae et plangores ipsum olent Euripidem. Hac igitur fabula notissimum Ulixis in freto illo casum fusius descriptum puto: Laertiades in propinquom litus appulsus infinitas de sociis a Scylla et Charybdi abreptis effundit querellas, in quibus Stagirita similiter nimirum offendit atque Aristophanes in naufragorum ac pauperum heroum lamentis. Nam siquidem cum hac Scyllae scaena non tam sublimem illum Odysseae[2]) locum, ubi Ulixes cum magno sane fletu et luctu queritur, quam Menelai in Helena partes comparari oportet, vilissimam hic Nostri personam ac figuram fuisse nemo non largietur.

Ex Iliade Euripides illud argumentum deprompsit, quod quoniam non ipsi Homero, sed auctori paulo posteriori debetur, Ulixem iam supra ibi Posthomerica specie indutum reperimus (p. 4 sq.). Namque Euripidem etiam Doloneae operam dedisse ac fabulam nomine Rhesum scripsisse satis probabiliter accipiemus[3]), non quo ista, quam superstitem fata voluerunt, tragoedia (p. 75.) post diligentissimas Valckenarii aliorumque vindicias etiamnunc illi nobis tribuenda videatur, sed quia veteres critici fabulae nimirum vere Euripideae testimoniis inducti alteram illam, quae ad hanc aetatem pervenit, fabulam Euripidis esse opinabantur. Ubi quomodo Laertiadae mores descripserit, nullum sane certo coniciendi praesidium exstat; de tota tamen hac materie admodum vereor, ut ille in servata tragoedia Ulixes ab Euripideo virtute aut morum praestantia superatus sit.

Omnino nihil de Ithaci viri in Epeo aut in Scyriis persona compertum habemus. At siquidem recte iam Winckelmannus in priore illa fabula equi Troiani exstructionem aliquomodo esse descriptam coniecit[4]). haud exigua eius rei pars ipse fuit Laertiades; atque sicut Ribbeckius in Naevii Equo, quam ille quidem fabulam ad Euripidis exemplum referre invito Welckero[5]) tergiversatur, conditiones delendae urbis expeditas esse ex Plaut. Bacch. 933 sqq. collegit[6]), ita in Epeo similia certe, imprimis abiegni monstri aedificatio, porro legatorum cum Troianis

[1]) Welcker. Trag. II p. 528. [2]) ν 197 sqq. [3]) Bergk. l. c. p. 614. [4]) Mon. ined. tav. 168. p. 225; cf. Welcker. II p. 523. [5]) l. c. p. 523; 526. [6]) Trag. Rom. p. 48.

colloquia, fortasse etiam Palladii raptus exposita fuerunt. Porro quo magis in Scyriorum reliquiis, quae ad nihil nisi ad rem, amatoriam spectant, legatorum vestigia desideramus, eo certius tamen illos in extrema fabula prodiisse ac deducto Pelida nodum quasi explicuisse coniecerim. Qua in re num Ulixes Euripideus fictis fallaciis aut facundia intenta Sophocleo (p. 57.) magis versutum se ostenderit, ignoramus quidem; attamen per Euripidis artem istud ponere omnino licet.

Felicissimo casu contigit, ut ceterorum sex quae huc pertinent dramatum ordo satis firmis testimoniis constet, unde facilius nimirum certus in Ulixe describendo progressus cognoscitur.

In Telepho enim, fabula iam Ol. 85, 3. = 438. a. Chr. edita, Laertiades quamvis prudenter callide eloquenter se gerat, ab ista tamen inhumanitate, quam in posterioribus prae se fert tragoediis, longe etiamtum abhorret. Quomodocunque autem Euripides hoc drama instituit, de qua re post Geelium[1]) A. Schoellium[2]) Jahnium[3]) Welckerum[4]) Hartungium[5]) Ribbeckium[6]) Jacobsonium[7]) Wecklinum[8]) denuo disserere ausus profecto litus ararem, Ulixes non dubium est, quin primus, quis advena sit, sagaciter perspiciat atque Agamemnone in suas et illius partes deducto necnon mente alterius Atridae placata Achilli tandem, ut sanato Telepho una Pythii Apollinis voci obsequatur, persuadeat. Quod Wecklinus fr. 725:

πριστοῖσι λόγχης θέλγεται ῥινήμασιν,

quo versu oraculum explicatur, dei ex machina, quem vocant, quam Ulixis esse maluit[9]), istud Euripide licet dignissimum sit, nimis tamen cum Hygini narratione[10]) pugnat, ubi expressis verbis scriptum videmus: „Tunc Ulixes ait: ‘non te dicit Apollo, sed auctorem volneris hastam nominat’“. Itaque quisquis verba illa fr. 709. pronuntiat:

οὔ τἄρ' Ὀδυσσεύς ἐστιν αἱμύλος μόνος·
χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν —

[1]) de Tel. Eur. (Annal. Inst. Belg. 1830.). [2]) „Beiträge“, 1839. p. 134 sqq. [3]) „Tel. und Troilos“, 1841. [4]) Trag. Gr. II p. 477. [5]) Eur. Restit. I p. 196 sqq. [6]) Trag. Rom. p. 104 sqq. [7]) de fabula Telephea; diss. inaug. Kilon. 1864. [8]) Nunt. Acad. Bav. class. philol. 1878. II p. 198. [9]) ib. p. 223. [10]) fab. 101.

iure quidem eis Telephi dolus et astutia laudatur, verum in tota fabula Laertiadae prudentia longe magis miranda est.

Simplex Philoctetae (Ol. 87, 2.) argumentum ab Aeschylo iam in scaena propositum Euripides deinde perquam implicuit multisque de suo rebus exiguis subtiliter amplificavit. Ac primum quidem comitem Nostro Diomedem addidit[1]), cuius praesenti et efficaci auxilio fretus magis ille linguam exerceret; porro Euripides Aeschyli rationem aspernatus Minervam, ille ne ab exule agnosceretur, falsa specie induta cavisse primus confinxit. Ulixes autem initio in pulpitum progressus, ut Welckeri verbis utar, tanquam ad oratoris Attici exemplum orditur; qua dicendi ratione miram quandam superbiam studiumque laudis ostendit. Nihil enim in illis verbis sentimus, quo sinceri herois Homerici memoria nobis resuscitetur. Gloriae cupiditate ductum sese huc venisse sponte sua fatetur, ut Philoctetam atque Herculis tela Troiam suis afferret. Neque minus eo Ulixis indoles significatur, quod insciis regibus se consilium arcessendi Poeantii herois cepisse dicit, quamquam hoc ipsum non ad vanam illius ostentationem, sed ad sanam spectat prudentiam: Ulixes antequam fausto eventu potitus sit, adeo non inaniter gloriatur, ut ne nuntiet quidem, cui incepto animum intendat. Sed iam in pristinam recidit vanitatem, ipsum se quondam effecisse vociferatus, ut vir saucius in hoc exilium mitteretur[2]). Vel propterea tamen, quod exponendi tunc herois auctor fuerit, summopere se incepti discrimen metuisse, donec Minerva ipsi tutelam auxiliumque promiserit. Partes autem, quas Lemnum profecturus suscepit, in illo cum Philocteta colloquio permagna deinceps fraudulentia exequitur. Mitigato enim viro historiam narrat plane confictam, in qua quamquam ipse actor primarius est, de se tamen ut de alio homine loquitur. Nec vero in hac commenticia fabella se ipse nominat honoris causa, sed supplicio Palamedis commemorato turpissimum vitae suae malum vitiumque detegit. Quam maculam quod ipse hic Ulixes occulto quidem habitu indutus ostentat, data opera tanquam mores suos in peius fingit: falsae quippe personae participi ne minima quidem excusa-

[1]) Hac in re Hygin. fab. 102. et Quint. Smyrn. IX 334. secuti sunt.
[2]) cf. Soph. Philoct. 4 sq.; cf. p. 58.

tione, id quod tunc in socium ac popularem commisit, defendere licet; immo augere invisi Laertiadae culpam Ulixis ipsius est. Per totam igitur hanc scaenam gloriosis verbis vitiorum artificiorumque copiam prae se fert et ne ipsa quidem scelera iactare religioni habet. Quali in Ulixis descriptione si quis nimium offenderit, paulum certe mens eius aversa ceteris, qui deinde apparent, moribus allicietur. Neque enim illi ducamus opprobrio, quod dum novo morbi incursu Philocteta afficitur, hanc ipsam occasionem ad tela arripienda usurpat; et quas ingressis Phrygum legatis causas ac rationes deposita iam falsa persona ad movendum et conciliandum Philoctetam adhibet quamquam prudentissimi sunt, non tamen eundem fallaciarum olent machinatorem hominemve in mendaciis volgo convictum, sed vero tunc patriae amore vera bellandi strenuitate vero communis causae studio imbutus videtur[1]). At enim Ulixes, ut est in publica vita versatus et cuiuscunque actionis quam maxime peritus, passim tempori servit: ob ipsam illam, quam sicut velatus ita cognitus deinceps ostentat, facundiam captiosam totus ac merus reperitur sophista, cuius mortalium generis luculentum Ulixe taliter descripto Euripides exemplum proposuit[2]).

Qui Laertiadae speciem depressurus altius etiam in Hecuba[3]) descendit, ubi mactandae ille Polyxenae consilium persequitur. Etenim iam chorus primum in orchestram ingressus non sine acerrimis maledictis eum esse Ulixem pronuntiat, qui ne principi omnium Danaorum optimo ullum pietatis officium desit, ceteris studiosior hortetur itaque exoptatam defuncto viro victimam immolari iubeat[4]). Nec falluntur choreutae timore capti, ne ipse Laertiades mox veniat virginem e complexu matris deductum, sed paulo post[5]) scaenam intrans de contionis Hecubam decreto certiorem facit, una se suosque πομποὺς καὶ κοσμητῆρας κόρης, Achillis filium θύματος ἐπιστάτην καὶ ἱερέα ostentans. Quibus cunctis in verbis tanta saevitia inest ac protervitas, quanta Ulixem alias nunquam utentem videmus; qui quamquam totius exercitus rem agit, ista in miseras mulieres importunitas diri profecto

[1]) cf. interpretationem fr. 793.—796. Nck. apud Ribbeck. Tr. Rom. p. 391 sqq. [2]) cf. Dion. Chrys. 52, 11. [3]) De tempore vid. Wilamowitz. Anal. Eur. p. 151. [4]) v. 130 sqq. [5]) v. 218.

hominis et immanis est. Atque increscunt haec vitia in eis, quae subsecuntur. Supra iam in illustranda Leschae narratione[1]) locum commemoravi notissimum, ubi Hecuba durum Ulixis animum eo frangere conatur, quod illum tunc mendicum sese precibus ac suppliciis commotam Troibus non prodidisse refert[2]). Qua tamen recordatione ad molliendos animos maxime idonea Ulixis amor studiumve, quo patriae suisque salutem prospicit, tantum abest, ut deterreatur, ut miserandae anus deprecationi convicia opponat, quasi Graecorum heroes minoris quam par sit barbari aestimaverint eaque de causa ne Achillem quidem merito honore satis dignum censeant. Quae cum audiamus, non amplius miramur Ulixem illud etiam aspernari, quod filiam Hecuba ipsius liberos in Ulixis memoriam revocare iubet[3]) aut his refutatis pro integerrimae aetatis virgine, ut ipsa Paridis mater vivendo lassa senioque confecta ad Pelidae tumulum abducatur, quam maxime exoptat[4]). Quae cunctae preces quasi a scopulo Ulixis corde reiciuntur, quod ne minimam quidem misericordiae speciem monstrat, sed tristissimis lamentationibus ac deprecationibus aut nihil aut feroces minas et opprobria reponit[5]). Ceterum deducta virgine nihil nisi servile officium ab Atridis cum magna sua ipsius voluntate impositum perficere Ulixem cum ex illis ipsius verbis (p. 71.) tum hinc intellegitur, quod Talthybius in describendo sacrificio[6]) viri Laertii mentionem omnino nullam movet.

Tetralogiae vinculo Palamedes et Troades (Ol. 91, 2.) continentur, quapropter eandem in his fabulis Ulixi speciem fuisse pro certo dici poterit. Sane vero in **Troadibus** ipse nulla utitur persona; nihilominus hic quoque ex frequenti mentione certam quandam componere figuram licet. Quod quidem Hecuba, Talthybio eam in captivarum sortitione servam Ulixis factam nuntiante, novom dominum acerrimis devotionibus execratur et Cassandra matris querellis assensa, quoscunque postea errores ille obiturus sit, vaticinatur necnon sperans eum tunc tandem aliquando malignitatis poenas daturum esse toto pectore gaudet, ex istis inimicarum verbis cave iniquo animo de Laertiada iudices; namque hostium

[1]) p. 18. [2]) v.239 sqq.; cf. Plaut. Bacch. 962 sqq. [3]) v. 339 sqq. [4]) v. 382 sqq. [5]) cf. v. 397. [6]) v. 518 sqq.

convicia parum apta esse ad metiendos mores iam supra iterum ac saepius monui (p. 50. 59.). Sufficit tamen vel illa Ulixis de necando Astyanacte sententia[1]), qua durum illius et inexorabile ingenium describatur; talis enim supplicii auctorem et interpretem quamvis iustis ductum rationibus (p. 25.) turpi crudelitatis et inhumanitatis macula deformari quis est qui neget?

Similis morum notatio quadrat etiam in Palamedem, quae fabula in eo cum cognominibus Aeschyli et Sophoclis tragoediis, conspirat, quod Naupliades, ficta hic quoque criminatione in iudicium vocatus, meritis suis maximeque inventis frustra praedicatis postremo capitis damnatur atque aemuli invidiam supplicio luit. Ad quae momenta tribus dramatis, ut videtur, communia apud Euripidem, cuius ingenio hoc argumentum gratissimum fuit et aptissimum, res alia accedit, quae certis Ulixis calumniis contineatur. Etenim quod longius ex accusatione illius fragmentum exstat[2]), avaritiam hinc aurique cupiditatem illi Ulixem exprobrasse luculenter apparet. Unde alterum nimirum pecuniae ab hostibus acceptae crimen profluit ac tertium proditionis cum aliis crimimibus artissime coniunctum. Itaque cum in ceterorum fabulis nimium mutilatis ipsae Nostri adversus illum rationes et argumenta plane nos lateant, hic pecunia memorata ad alios relegamur scriptores, apud quos eadem causa ab Ulixe conficta narratur. Quodsi ad gravissimam Welckeri[3]) sententiam ex Euripidis fabula manasse ea concedes, quae Hyginus[4]) et Servius[5]) proferunt, satis amplam inde materiem lucramur. Primum enim quod hi scriptores iram Laertiadae ad priscam illam furoris detectionem reducunt, nihil obstat, quin Euripidem quoque ad Aeschyli exemplum (p. 49.) hac re usum esse coniciamus. Porro insidias etiam, quas apud fabulatores illos Ulixes molitur, confictam dico epistulam aurique pondus in aemuli tabernaculo defossum, recte Welckerus Euripidi vindicat, quippe quem utroque artificio alias uti sciamus, epistulis Iph. Aul. 111.; Iph. Taur. 584.; Hippol. 856.; Thes. fr. 385. Nck.[6]), opibus occultis Hec. 1146 sq. Denique sicut

[1]) v. 719 sqq. [2]) fr. 584. Nck. Ulixis esse verba coniecit Valckenarius. [3]) Trag. II p. 503. not. 4. [4]) fab. 105. [5]) ad Aen. II 80. [6]) cf. etiam priorem Hippolytum (Welcker. Trag. II p. 740.), Stheneboeam (ib. p. 778.), Bellerophontam (ib. p. 786.).

Ulixes solus illic et quasi privatim Palamedi perniciem parat, ceteris postea demum ad ipsius partes dolo perductis, ita hic quoque unus fortasse initio accusator in contionem procedit aliis persuasum, ut illum communis causae proditorem, quem perhibet, capitis poena afficiant. Quae si cuncta comprobaveris, Ulixe inducto hic quoque vilissimi hominis imaginem videmus, quae omni herois Homerici maiestate et honestate orbata est.

Mortuo demum Euripide filius aut — si Suidam mavis auctorem sequi — fratris filius Iphigeniam Aulidensem edidit. In Sophoclis Iphigenia Ulixes quanta vi et auctoritate floreat, supra exposui (p. 61.); hic quamquam neque ipse in scaenam prodit neque, id quod alias monendum erat (p. 60.), victimam Mycenis adducit et ne in ipsa quidem immolatione a nuntio fuse descripta commemoratur, summum tamen consilii auctorem et fautorem eum ab Euripide etiam significari vel ex Tauricae Iphigeniae verbis cognoscimus v. 24 sq.:

— καί μ᾽ Ὀδυσσέως τέχναι
μητρὸς παρείλοντ᾽ ἐπὶ γάμοις Ἀχιλλέως.

Quacum ratione alterius fabulae tres loci concordant. Ac primum quidem inter paucissimos illos, qui iussum Dianae noverint, Ulixem innuit Agamemno v. 106 sq.:

μόνοι δ᾽ Ἀχαιῶν ἴσμεν, ὡς ἔχει τάδε,
Κάλχας Ὀδυσσεὺς Μενέλεώς θ᾽ —.

Est sane illud laudi Laertiadae, quippe cuius prae ceteris consilium in adversis rebus et periculis expeti appareat. At quoniam Atrei filios rei cum versuto homine communicatae paulo post magnopere poenitet[1]), Ulixis honos tali amicorum suspicione aliquantum minuitur; qui quamvis hac certe in causa ob suam magis dubitationem et inconstantiam ad maledicta in alios fundenda inclinent, toto tamen colloquio non veram esse illorum erga Ulixem fiduciam, sed propter solas rerum angustias auxilium eius adhiberi in propatulo est. Agamemnonis convicio, quod Ithacensem principem quasi a Sisypho oriundum castigat (p. 47 sq.), ad tertium traducimur locum, ubi Clytaemnestra cum Achille de servanda filia ser-

---

[1]) v. 524 sqq.

mocinans eodem in illius stirpem opprobrio utitur. Quod si minus contumeliae Ulixi est, cetera tamen quaecunque deinceps Pelides de illo profert, dico ad immolationem virginis perficiendam eum esse electum, utqui summa voluntate sua munus illud et officium acceperit[1]), sane haec ad malignum spectant et satis crudelem. Neque vero huius dramatis rationem plane eandem atque in Troadibus esse concedam. In utraque scilicet tragoedia quasi post scaenae parietes hic virgini illic puerulo necem molitur; sed cum in altera fabula ulciscendi cupiditati indulgens devicti defunctique hostis filium e medio tollat (p. 72.), hic suadentem, ut divinae voci satisfiat, nihil Ulixem nisi publicae consulere saluti praedicandum est. Et quamquam Euripides si ipsum illum induxisset, num magis ingenuom quam in Philocteta Hecuba Palamede descripturus fuerit, ex paucis istis tragoediae locis aegre colligas, fieri tamen poterat, ut illo, quod in Macedonia vidit, revirescentis suae et artis et fortunae tempore Ulixis etiam figura satis vehementer dramatis suis afflicta paulo magis tandem delectaretur.

Strictim supra Euripidis Rhesum temporibus obrutam memoravi (p. 68.); iam breviter incerti auctoris, quam superstitem habemus, Rhesum consideraturi eodem itinere ad ceterorum poetarum fabulas transire placet. Ubi satis dignam esse Ulixis personam aegre quisquam dixerit. Quem postquam tota priore fabulae parte ob detrimenta Troianis iniecta Dolo ad exploranda Graecorum castra profecturus necnon Rhesus et Hector acerrimis probris minisque laniaverunt, ipse cum Diomede in scaenam progressus moderatum sese ac prudentem hoc certe demonstrat, quod Tydidae prosperrimo trucidati Dolonis eventu haud satis contento, sed plures etiam hostes ad inferos dimittere cupienti, ne nimium audeat, gravissime suadet ac divina demum patrona adiutrice facta ipse quoque rem suscipere promptissimus est. Itaque Diomedes Rhesum necat, rapit alborum equorum quadrigas Ulixes. Quod quomodo fallax consilium perpetrent, describere longum est. Laertiadae tamen, qui sicut in ipsa Dolonea praedonis tantum partes

---

[1]) v. 1364.

tenet, in tali quoque periculo summam esse personam vel inde colligitur, quod hostes ipsi per spissam noctis caliginem, qui sint adversarii, omnino nescii nihilominus Ulixem adesse statim divinant, praeter quem nemo tale inceptum in animum induxerit[1]); neque minus Hector subinde advolans, quid de Rhesi percussoribus sentiat, his verbis complectitur v. 861 sq.:

καὶ ταῦτ᾽ Ὀδυσσεύς · τίς γὰρ ἄλλος ἄν ποτε
ἔδρασεν ἢ ᾽βούλευσεν Ἀργείων ἀνήρ:

quocum iudicio eiusdem dictum conspirat v. 952 sq.:

ἤδη τάδ᾽ · οὐδὲν μάντεων ἔδει φράσαι
Ὀδυσσέως τέχναισι τόνδ᾽ ὀλωλότα.

Est igitur hic Ulixes, quem totum nomen Troianum quam maxime timet, homo audax pugnaxque, quali bellatoris asperi persona callidus et facundus Laertiades a poetis scaenicis, quantum videmus, alias nunquam instruitur.

Finibus continetur artissimis, quicquid ex permultis ceterorum auctorum tragoediis de Ulixe enucleamus. Duo tamen veteris mythi narrationes solus Ion scaenae aptavit in fabulis, quae Custodes et Laertes inscribuntur. Priore enim dramate Ulixis Troiam illapsi explorationem esse descriptam Nauckio comprobante iam Welckerus coniecit, ad quod argumentum illa etiam incerti auctoris Πτωχεία pertinet[2]). Atque iam in Odyssea[3]) et Proclo teste in Parva Iliade, ut vidimus[4]), Ulixes Troiae cognitus summoque vitae discrimine circumventus multis Troianis interfectis ad suorum castra rediisse memoratur; et similiter Rhesi scriptor Troianos illos portae custodes esse intellegendos docet v. 506:

κτανὼν δὲ φρουροὺς καὶ παραστάτας πυλῶν
ἐξῆλθε. —

Nihilominus dubito num ab his custodibus Ionis fabula nomen acceperit, quoniam nullius mihi tragoediae in mentem venit, cuius etiam chorus interficiatur; rectius eos custodes esse Welckerus putat[5]), qui Ulixem, cui obviam fiunt urbem intranti, ducunt ad Pergama ibique ante Helenae et Deiphobi domum choreutae

---

[1]) v. 704 sqq. [2]) Trag. III p. 951; Fragm. trag. Gr. p. 195. [3]) δ 257 sq. [4]) p. 17 sqq. [5]) Trag. III p. 948 sq.

existunt: hic enim scaenam esse tragoediae colligimus ex schol. Od. ϑ 517: ᾔδει δὲ τὴν Δηιφόβου οἰκίαν ὁ Ὀδυσσεύς, ὅτε αὐτομολῶν εἰςῆλθε. Valde dolendum est, quod ipsius fabulae fragmenta de Nostro plane nihil exhibent. Velut quod in Rheso de Ulixe mendico innuitur v. 715:

βίον δ' ἐπαιτῶν εἷρπ' ἀγύρτης τις λάτρις —

vere istud in hac fabula spectantium oculis vix propositum est, nisi forte Ulixem falsa etiamtum persona indutum a Deiphobo ut domino, quem quidem parum certo hic ponimus, victum petiisse autumaveris; at tale quid magis opinor quam Ionem sapit Euripidem, qui Eustathio teste nimirum solus[1]) illam quoque Ulixis cum Hecuba collocutionem de suo in huius periculi narrationem inseruit.

Neque certius quicquam ampliusve de Ionis Laerta statuerim. Superest ex toto dramate unum fragmentum[2]), quod his verbis continetur:

ἴθι μοι δόμον, οἰκέτα, κλῇσον ὑπόπτερος,
μή τις ἔλθῃ βροτῶν —,

quod Koepkeus cum Welckeri et Urlichsii plausu ad ultimae rhapsodiae impetum referunt ab Eupithe ceterisque procorum affinibus in praedium Laertae tentatum. Ubi siquidem scaena fabulae instituta erat, satis multa momenta tragicae arti aptissima iam Homerum proponere apparet. Habemus enim senem morosum ac de funesta dilecti filii sorte maestissimum, qui deposita veste regia si non Telephi similis, at cultu certe agresti ornatus est; habemus flebilem patris et filii agnitionem; hábemus acerrimum discrimen, ubi periculum est, ne prima reducis viri laetitia ab hostibus internis deleatur; habemus denique Jovis filiam de nubibus oblatam, quae „dignum vindice nodum" discindit. Quas res vere tragicas num Chius poeta in suam fabulam converterit, nullo quidem testimonio firmatur; sed Ulixis partes moresque etiamsi eadem caligine velantur, similes fuisse Homericis persuasum habeo.

Praeterea Ithacensem virum in Teucro, ut Ribbeckius ostendit[3])

---

[1]) p. 1495, 5. [2]) fr. 14. Nck. [3]) Trag. Rom. p. 375.

non Sophoclis[1]) aut Ionis[2]), sed Nicomachi fabula, permiro captum discrimine reperimus, ubi tantum abest, ut id quod in extrema Sophoclis Aiace legitur, Ulixes ipsius Teucri partibus faveat, ut alter alterum, quasi fratrem per insidias occiderit, vehementer accuset. Ad scaenam tragoediae magis illustrandam Ribbeckius Romanorum scriptorum testimonia, imprimis Quintil. IV 2, 13. huc refert, unde elucet Teucrum invenisse Ulixem „in solitudine iuxta exanime inimici corpus cum gladio cruento“, quo suspecto sane fretus momento Teucer illum interfecti fratris reum peregerit. Ad quod Laertiadam vice versa item Teucro caedis culpam assignasse, argumentis ex illius affinitate paulo longius repetitis[3]), quae recoquere a proposito nostro abhorret; eo magis hic memoratu dignum est, id quod altero eiusdem libri loco[4]) reperitur, Ulixis dico acceptae a Troianis pecuniae, ut fratrem interficeret, acerbius incusanti haec fere respondisse Teucrum: „Tu quidem, Ulixes, qui adversarius Aiacis fuisti, hunc pecunia accepta non prodideris, ego Teucer, fraterno sanguine cum eo coniunctus?“[5]) Unde elucet, quantopere Nicomachus cum totum inclinaverit iudicii finem in Sophoclis tragoedia magnificum, tum Ulixis animum ac mores de admirabili illa excelsitate deiecerit.

Cum Nicomachus in rebus post armorum iudicium gestis versaretur, huic ipsi certamini post vetustiores tragoediae principes etiam Theodectes et Carcinus operam dederunt. Quorum alter, Peripateticus Phaselites, ipse quoque Aiacem scripsit, de quo nonnulla certe Aristoteles in Rhetorica monet[6]). Uterque, cuius ratio habetur, locus ad litem pertinet: Telamonius enim obicit adversario, istum non honoris causa a Diomede videlicet in Dolonea comitem electum esse, verum ut ipso esset inferior. Ulixes autem ignaviae probrum repulsurus, quia cautus ac prudens sit, audacibus timidum sese et imbecillum videri respondet[7]).

---

[1]) Nauck. Trag. fr. p. 204; cf. Ribbeck. l. c.: „Der Stoff desselben, mit dem des Pacuvianischen übereinstimmend, schliesst jede Beteiligung des Od. aus.“ [2]) Welcker. Trag. III p. 953. [3]) Aristot. Rhet. III 15. extr. [4]) ib. II 23b 1398. [5]) Verba ad aliam rem usurpata in hanc conditionem restitui. [6]) II 23, 20; III 15. extr. [7]) II 23, 24.

Vel ex tantulis reliquiis hanc fabulae partem in causae iudicialis modum fuisse institutum apparet: quae dramatis indoles olet iam scholasticas illas de hac lite orationes, quarum primam nomine Aiacem Antisthenes, Theodectae aequalis, composuit[1]).

Restat illa Carcini tragoedia, quae per paroemiographum quendam innotuit haec adnotantem: Αἴαντος γέλως — λέγουσι δὲ ὅτι Πλεισθένης ὁ ὑποκριτὴς τὸν Καρκίνου Αἴαντα ὑποκρινόμενος εὐκαίρως ἐγέλασε · τοῦ γὰρ Ὀδυσσέως εἰπόντος, ὅτι τὰ δίκαια χρὴ ποιεῖν, μετὰ εἰρωνείας ὁ Αἴας τῷ γέλωτι ἐχρήσατο. Unde duplex Aiacis cachinnus in proverbii usum penetrasse colligitur, et hic a Carcino poeta in ipso iudicio descriptus et alter ille ex Sophoclis Aiace notissimus, de quo vid. Lobeck. ad Ai. v. 303. Quod de Ulixe quidem hinc discimus exiguom est: qui cum iusta facere nescio-quem iubeat, satis ieiunus exstitisse morum praeceptor videtur[2]).

Nullum omnino de Ulixe iudicium aut coniecturam haec tragoediarum nomina admittunt, quae quidem ad Troicum mythum tam aperte spectant, ut vel personam ibi Laertiadae fuisse vel aliquam eius rationem esse habitam iure accipiemus:

Agathonis Telephus[3]), Ilii excidium[4]).
Philoclis Philocteta[5]), Penelopa.
Astydamantis Palamedes, Aiax furens.
Iophontis Telephus, Ilii Excidium.
Euripidis minoris Polyxena.
Nicomachi Neoptolemus[6]), cf. Teucrum (p. 78.).
Cleophontis Telephus, Philocteta, Excidium.
Dionysii, tyranni maioris, Hectoris Lutra.

---

[1]) cf. Blass. Eloq. Att. II p. 310. sqq.; Ribbeck. Trag. Rom. p. 369. [2]) cf. Milleri „Mélanges de litt. Gr." p. 355; Nauck. Suppl. ad Trag. Gr. in Eurip. trag. vol. III p. XIX. [3]) Welckerus hic Theseum vices tenere Ulixis dicit (Trag. III p. 990.); Meinekio auctore fabula potius Tlepolemus inscribenda est. [4]) Opinionem Welckeri, qui famosissimam illam Πέρσιν (Aristot. Poet. c. 23.) iterum iterumque Aeschylo obtrusit, ingeniose refellit G. Hermann. opusc. VIII p. 129 sqq. [5]) Fabulae nimirum patris Aeschyli sunt (p. 46 sq.; 45.) a Philocle iterum editae; cf. Ribbeck. l. c. p. 379. not. 3. [6]) cf. p. 78 coll. Ribbeck. p. 402.

Timesithei Repetitio Helenae, Hectoris Lutra, Proci.
Apollodori Tarsensis Ulixes ἀκανθοπλήξ.
Mimnermi Neoptolemus[1]).
Chaeremonis Ulixes[2]).
Theodectae Philocteta; cf. Aiacem p. 78.
Lycophronis Chalcidensis Telegonus.

---

[1]) cf. p. 58. [2]) Huic dramati cognomen Traumatiam fuisse Welckerus (Trag. III p. 1057.) non magis quam H. Bartschius (de Chaeremone tragico; diss. inaug. Vratisl. 1843. p. 39.) mihi persuasit.

# Epitheta et appellationes[1]).

Petuntur a patria:

Bacchyl. fr. 38. Bgk.[4]: — ἀνδρὸς Ἰθακησίου.
Eur. Troad. 277: Ἴθακος Ὀδυσσεύς — ἄναξ.
— Cycl. 103: Ἴθακος Ὀδ. γῆς Κεφαλλήνων ἄναξ.
Soph. Phil. 264: χὠ Κεφαλλήνων ἄναξ.
ib. 791: ὦ ξένε Κεφαλλήν.

a patre:

παῖς Λαερτίου: Soph. Ai. 101.; Phil. 87. 1357.; Eur. Hec. 402.; Rhes. 669. cf. Soph. Ai. 1.; Phil. 1286.
ὁ Λαερτίου: Soph. Phil. 401. 628.
ὁ Λαέρτου γόνος: Soph. Phil. 336.; fr. 827. Nck.; Eur. I. T. 533.
ὁ Λαέρτου τόκος: Soph. Phil. 614. cf. Eur. I. A. 204.; Troad. 421.
τέκνον Λαρτίου: Soph. Ai. 330.
ὦ γεραιοῦ σπέρμα Λαέρτου πατρός: ib. 1393.
Λαερτιάδης: Eur. Hec. 133.; Rhes. 907.

ab avo paterno:

Ἀρκεισιάδης: Ibyc. fr. 11. Bgk.

a patre conficto[2]):

Aesch. Arm. Iud. fr. 143. Nck.:

Ἀλλ' Ἀντικλείας ἆσσον ἦλθε Σίσυφος,
τῆς σῆς λέγω τοι μητρός, ἥ σ' ἐγείνατο.

---

[1]) Homerica epitheta plene componunt Houben. l. c. et Ebeling. lexic. Hom. s. Ὀδυσσεύς. Locos satyricorum dramatum vel in hunc conspectum recipiendos putavi.

[2]) De mytho cf. p. 47 not. 1.

Soph. Ai. 190: χὼ τᾶς ἀσώτου Σισυφιδᾶν γενεᾶς.
— Phil. 417: — σύμπολητὸς Σισύφου Λαερτίῳ.
ib. 623 sq.: πεισθήσομαι γὰρ ὧδε κἀξ Ἅιδου θανὼν
πρὸς φῶς ἀνελθεῖν ὥσπερ οὐκείνου πατήρ.
cf. schol. et v. 448 sq.
ib. 1311: — Σισύφου πατρός sc. βλαστών.
Eur. I. A. 524: τὸ Σισύφειον σπέρμα.
ib. 1362: ὁ Σισύφου γόνος.
— Cycl. 104: οἶδ' ἄνδρα — Σισύφου γένος.

Ex Homeri carminibus in posteriorum auctorum carmina manaverunt:
δῖος: Lesch. ap. schol. Ar. Eq. 1056.; Soph. Phil. 344 (Neopt. cum ficta ironia).
ἐσθλός: Soph. Ai. 1399. (Teucer: καθ' ἡμᾶς).
θρασύς: Eur. Or. 1405. (εἰς ἀλκάν).
Rhes. 499. (λῆμάτ' ἀρκούντως θρασύς); 707. (chorus: ἐς ἡμᾶς).
πολυμήχανος: Soph. Phil. 1135.
πολύτλας: Ibyc. fr. 11.; Soph. Ai. 954.
ταλασίφρων: Alcman. fr. 41.
Αἴθων: nomen fabulae Achaei satyricae, quo Ulixes significatur[1]).
Cf. etiam ἀντιθέους ἥρωας: Pind. Pyth. I 100. (p. 42.) necnon Ἰθακήσιος, Λαερτιάδης (p. 81).

## Ceterae laudes.

Theogn. 1125: — νηλέϊ θυμῷ — ἔμφρων.
Soph. Ai. 1374 sq. chorus:
ὅστις σ', Ὀδυσσεῦ, μὴ λέγει γνώμῃ σοφὸν[2])
φῦναι, τοιοῦτον ὄντα, μῶρός ἐστ' ἀνήρ.
Eur. Cycl. 450. chorus:
σοφόν τοί σ' ὄντ' ἀκούομεν πάλαι.
Soph. Ai. 1381. Teucer:
ἄριστ' Ὀδυσσεῦ, πάντ' ἔχω σ' ἐπαινέσαι.
ib. 1331. Agam.: φίλον σ' ἐγὼ μέγιστον Ἀργείων νέμω λόγοισι.

---

[1]) cf. Od. τ 183. [2]) Aliter σοφός infra usurpatur.

Eur. Or. 1405 sq.: πιστὸς δὲ φίλοις — ξυνετὸς πολέμου.

Et laude et vituperio carent verba:

ἡ Ὀδυσσέως βία: Soph. Phil. 314. 321. 592.

## Convicia.

δόλιος: Soph. Phil. 606.; Or. 1404.; Troad. 282.; Rhes. 893.
Ὀδυσσέως τέχναι: Eur. I. T. 24.; Rhes. 953.
σοφός[1]): Soph. Phil. 431: σοφὸς παλαιστής.
Soph. Phil. 439: — ἀναξίου φωτὸς — γλώσσῃ δὲ δεινοῦ καὶ σοφοῦ.
Eur. Troad. 1224 sq.: σοφὸς — κακός τ᾽.
Rhes. 625. 652. Diom.: τρίβων γὰρ εἶ τὰ κομψὰ καὶ νοεῖν σοφός.
Soph. fr. inc. 827.: τὸ πάνσοφον κρότημα.
αἱμύλος: Rhes. 498 sq.: — ἔστι δ᾽ αἱμυλώτατον
κρότημ᾽ Ὀδυσσεύς.
ib. 709: κλωπὸς — φωτὸς αἱμύλον δόρυ
Soph. Ai. 389: — τὸν αἱμυλώτατον.
Eur. Tel. fr. 709: οὔ τἄρ᾽ Ὀδ. ἐστιν αἱμύλος μόνος.
ποικίλος: Eur. I. A. 526:
ποικίλος ἀεὶ πέφυκε τοῦ τ᾽ ὄχλου μέτα.
— Hec. 131 sq.: — ὁ ποικιλόφρων
κόπις ἡδυλόγος δημοχαριστής.

Ad populi studium vimque persuadendi haec quoque spectant:
Eur. I. A. 527: φιλοτιμίᾳ μὲν ἐνέχεται, δεινῷ κακῷ.
Soph. Ai. 148 sqq.: — λόγους ψιθύρους πλάσσων
εἰς ὦτα φέρων πάντων Ὀδυσεύς
καὶ σφόδρα πείθει.
Eur. Hec. 248: Coram Hecuba Troiae Ulixes adhibet:
πολλῶν λόγων εὑρήμαθ᾽ ὥστε μὴ θανεῖν.

Ambiguum Ulixis ingenium acerrime his Hecubae verbis perstringitur: Eur. Troad. 282 sqq.:

μυσαρῷ δολίῳ λέλογχα φωτὶ δουλεύειν
πολεμίῳ δίκας, παρανόμῳ δάκει,
ὃς πάντα τἀκεῖθεν ἔνθαδ᾽
ἀντίπαλ᾽ αὖθις ἐκεῖσε διπτύχῳ γλώσσᾳ
φίλα τὰ πρότερ᾽ ἄφιλα τιθέμενος.

---

[1]) cf. p. 82. not. 2.

Eodem pertinet Pind. Nem. VIII 25:

μέγιστον δ' αἰόλῳ ψεύδει γέρας ἀντέταται.

cf. p. 41.

Rhes. 507: ἀεὶ δ' ἐν λόχοις εὑρίσκεται.

ib. 512: τοῦτον δ' ὃν ἵζειν φῂς σὺ κλωπικὰς ἕδρας καὶ μηχανᾶσθαι.

ib. 709: κλωπὸς — φωτός.

κακός: Eur. Troad. 1224. cf. s. σοφός.

— Cycl. 689: ὦ παγκάκιστε.

Soph. Phil. 384: πρὸς τοῦ κακίστου κἀκ κακῶν.

— ib. 984: ὦ κακῶν κάκιστε καὶ τολμήστατε.

Eur. Or. 1403: κακόμητις ἀνήρ, οἷος Ὀδυσσεύς.

Soph. Ai. 381: κακοπινέστατον ἄλημα στρατοῦ.

Inter χείρους Ulixes intellegitur Pind. Isthm. III 34; Nem. VIII 21.

Eur. Cycl. 676: ὁ ξένος — ὁ μιαρός.

— I. A. 1364: αἱρεθεὶς ἑκών. — πονήραν γ' αἵρεσιν μιαιφονεῖν.

Soph. Phil. 1357: τῷ πανώλει παιδὶ τῷ Λαερτίου.

— Ai. 379: ἰὼ πάνθ' ὁρῶν ἁπάντων τ' ἀεὶ κακῶν ὄργανον.

ib. 445: φωτὶ παντουργῷ φρένας.

— Phil. 1016: ὦ δύστηνε, i. e. o nequam;

sed miser eadem voce Ulixes significatur:

Soph. Ai. 109. 111.; Eur. Troad. 431.

Soph. Phil. 1006:

ὦ μηδὲν ὑγιὲς μηδ' ἐλεύθερον φρονῶν.

ib. 606: ὁ πάντ' ἀκούων αἰσχρὰ καὶ λωβήτ' ἔπη.

ib. 1031: ὦ θεῶν ἔχθιστε.

Eur. Cycl. 381: ὦ ταλαίπωρ'.

Rhes. 516: λῃστὴν γὰρ ὄντα καὶ θεῶν ἀνάκτορα συλῶντα.

Soph. Phil. 1136: στυγνόν τε φῶτ' ἐχθοδοπόν.

ib. 1302 sq.: ἄνδρα πολέμιον ἐχθρόν τ'.

Substantivis figuratis vel universis nomen Ulixis circumscribitur his:

Soph. Ai. 103: τοὐπίτριπτον κίναδος[1]).

[1]) cf. Αἴθων. Urlichs. Philol. I. p. 560.

Eur. Or. 1406: φόνιος δράκων.
Ai. 381: κακοπινέστατον ἄλημα στρατοῦ.
ib. 389: ἐχθρὸν ἄλημα.
Phil. 622: ἡ πᾶσα βλάβη.
Rhes. 509: κακῷ μερμέρῳ παλαίομεν.
ib. 498: — ἔστι δ' αἱμυλώτατον
κρότημ' Ὀδυσσεύς.
Soph. fr. 827: τὸ πάνσοφον κρότημα.
Eur. Cycl. 104: οἶδ' ἄνδρα, κρόταλον δριμύ.
Soph. Ai. 572: ὁ λυμεὼν ἐμός.
Eur. Phil. ap. Dion. Chrys. 59, 8: ὁ κοινὸς τῶν Ἑλλήνων λυμεών.
Soph. Phil. 991: ὦ μῖσος.
Eur. Troad. 284: λέλογχα — δουλεύειν
— παρανόμῳ δάκει.
Soph. Ai. 380: κακῶν ὄργανον.
Pind. Nem. VIII 25: — αἰόλῳ ψεύδει γέρας ἀντέταται.
Comica sententia inest in Eur. Cycl. 316: — ἀνθρωπίσκε.

# CONSPECTUS.

# CORRIGENDA.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| p. | 15 | lin. | 26. | l. | Philoctetam. |
| „ | 16. | „ | 27. | „ | novissime. |
| „ | 30. | „ | 24. | „ | numen. |
| „ | 48. | „ | 9. | „ | Aeschyleo. |
| „ | 49. | „ | 2. | „ | perpetuom. |
| „ | — | „ | 28. | „ | Quodsi. |
| „ | 51. | „ | 15. | „ | omnino. |
| „ | 52. | „ | 11. | „ | antea. |
| „ | 54. | „ | 11. | „ | ἐστ'. |
| „ | 57. | „ | 6. | „ | muliebres. |
| „ | 60. | „ | 5. | „ | bonis. |
| „ | 61. | „ | 1. | „ | eum. |
| „ | 62. | „ | 2. | „ | „atque“ delendum. |
| „ | 63. | „ | 6. | „ | vacuom. |

[illegible] Actien-Gesellschaft, Setzer-Lehr-Schule des Lette-Vereins (Carl [illegible]).